


Philos  
B

Philos. B. 1008.





D. HEINRICI MORI  
TRACTATUS

De

ANIMA,

Ejusque Facultatibus

Et



Naturali Immortalitate.



ROTTERODAMI,

---

Typis ISAACI NÆRANI, Bibliopolæ.  
MDC LXXVII.

*Philosophic: 876*

1217

477

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



## AD LECTOREM.



*E* Tractatus istius, quem hinc exhibemus, Autore, vix opus est quidquam præfari, cum per multa, quæ hætenus, tam in Anglicâ, quàm Latinâ linguâ edidit, scripta, Christiano orbi satis innotuerit. Cumque per Dei gratiam, adhuc in vivis esse non desierit, adulatorium videri posset, ipsius eruditionem & ingenii acumen extollere. Istud tamen affirmare crimini non dabitur, quod de hæc, quam Author hic tractandam sibi sumpsit, materiâ, majori diligentia, subtilitate atque eruditione, conscriptum vix unquam tractatum aliquem, lucem adspexisse credam.

Quid vero contineat, ex capitum ipsius tractatus indiculo, qui in fine Tractatus subjicitur, qui vis  
\* 2 ali-

aliquatenus intelligere poterit. Voluit autem noster  
**MORUS** methodum exhibere, quâ Athëi, non  
modo de Dei existentia, verum etiam de animarum  
humanarum immortalitate, convinci queant. Quâ  
occasione, de Animarum, Angelorum, & aliorum  
Spirituum, sive Geniorum natura, affectionibus,  
actionibus, Politiâ, affectibus, aliisque prædica-  
mentis, accuratè & subtiliter disputat. Nec non  
de eorum apparitionibus, conversatione secum in-  
vicem & cum hominibus, adjurationibus, reliqui-  
sque eorum attributis, curiosâ disputatione exe-  
quitur.

Author vero tractatum hunc, Anglicâ linguâ  
conscriptum, mihi pridem communicaverat: quem  
cum ab amico quodam Latinum fieri curassem, sed  
ob prolixitatem in compendium quodammodo reda-  
ctum, isque mihi magnopere arrideret, aliis quoque  
legendum præbui. Qui cum obnixè peterent, ut  
publici juris facerem, eorum desiderio deesse nolui.  
Ne vero Authori nostro hîc ulla fieret injuria, ad  
eum remisi, ut siquid mutari vellet, copia ei fieret.  
Ipse vero pauculis immutatis, editionem minimè re-  
nuebat. Hinc autem factum est, ut Amicus iste,  
Authori nostro antehac incognitus, amicitiam non  
leviter cum eo contraxerit. In cujus gratiam titu-  
lum



lum libri alicujus, ab eodem Amico conscripti &  
vendendi, proximis Nundinis Francofurtensibus publicè distrabendum, nec non operis nostri ipsius Authoris, Latinè nuper ab Ipso editi, quo omnibus innotescant, hîc subjicere libet. Vale.

F. M. A. H.

TITULUS TOMI

Latini, ab Autore editi.

HENRICI MORI Cantabrigiensis

OPERA THEOLOGICA.

Anglicè quidem primitus scripta, nunc verò  
per Autorem latinè reddita.

Hiscè novus præfixus est de synchronismis Apocaly-  
pticis tractatulus, cum luculenta demonstratione, ne-  
cessariæ & inevitabilis intelligibilitatis visionum Apo-  
calypticarum, calci ejusdem tractatus adjecta.

D A N. XII.

Expurgabuntur, dealbabuntur & explorabuntur multi, & impiè  
agent impij, nec intelligent ulli impuri, sapientes autem  
intelligent.

S Y R A C. XXXIX.

Qui ad meditandum Supremi Legem animum adjecit, is antiquorum  
omnium sapientiam exquirat, Intelligendisque vacat vaticiniis.

L O N D I N I,

---

Typis I. Macock, Impensis Joha<sup>n</sup> Maryn, sub signo  
campanæ; & Gualteri Kettelby, sub signo  
Episcopi, in D. Pauli cœmeterio. 1675.

TL

TITULUS OPERIS,

Ab Amico, proximis Francofurtensibus  
Nundinis edendi.

KABBALA DENUDATA,

*sive*

Apparatus in Librum SOHAR;

*Pars prima, & secunda.*

Nempe Loci Communes Kabbalistici, secundum ordinem alphabeticum concinnati, qui lexici instareffe possunt.

*Cujus contenta hæc sunt :*

- I. **E**Xcerpta ex Epistola quadam Compilatoris, de utilitate versionis libri *Sohar*.
- II. Tabulæ duæ synopticæ Kabbalisticæ, quarum altera est clavis sublimioris Kabbalæ.
- III. Aditus tentatus, rationem reddendi Nominum & ordinis decem Sephirotharum, in duabus Tabulis Kabbalisticis exscriptum, Platonismo, Rationeque libera. *D. Henrici Mori Cantabrigiensis.*
- IV. Tractatus I. libri *Druschim*; seu introductio Metaphysica ad Kabbalam, autore *R. Iischak Lorja.*

V. Quæ-

- V. Quæstiones & considerationes in Tract. 1. Libri Druschim, *D. Henrici Mori* Cantabrigiensis; cum ejusdem Epistola.
- VI. Ad considerationes & quæstiones in Tractatum 1. Libri Druschim, *R. Isaaci Lorjensis*, responsio ad *D. Henricum Morum*; cum epistolis huc pertinentibus.
- VII. Tractatus de Anima Autore *R. Moscheb Kor duere*.
- VIII. Theses Kabbalisticæ, quod est compendium libri Emeck ham Melech.
- IX. Ulterior disquisitio de rebus in amica responsione contentis, *D. Henrici Mori*.
- X. Visionis Ezechielis *S. Mercava* expositio ejusdem.
- XI. Fundamenta Philosophiæ, seu Cabbalæ *Aë-tepædo-mehisseæ* ejusdem.

D. HEIN-

D. HEINRICI MORI

TRACTATUS

De

ANIMIA.

CAP. I.

*De Materia & Immaterialitâ in genere.*

I.



Uda quidem & simplicissima rerum  
essentia imperceptibilis est facultati-  
bus nostris; sed tamen in omni re  
proprietas quædam, facultatesque  
& operationes existunt, quæ tam im-  
mediatè ad rem istam pertinent, ut

nulla possit dari nec concipi ratio hujus cohæisionis.  
Et tales sunt proprietates materiæ, actualis divisibili-  
tas, & impenetrabilitas: item immediatæ proprietates  
Spiritus seu substantiæ immaterialiæ, Penetrabilitas  
nempè & indiscerpibilitas. Quarum intima cum sub-  
jectis suis cohæio, nullo modo demonstrabilis est,  
quia alias non essent attributa immediata.

A

II. Cum.

2 D. HEINRICI MORI

II. Cum ergo omnis substantia sit vel Spiritus vel corpus, inde facile intelligi poterit, quænam sit utriusque definitio: Nimirum corpus erit substantia impenetrabilis & discerpibilis; & Spiritus substantia penetrabilis & indiscerpibilis. Hæc omnino fundamenti loco notanda sunt contra eos, qui animæ immortalitatem negant, propterea potissimum, quod nulla possit dari substantiæ immaterialis notio, quodque in illius conceptu nihil sit nisi mera incongruitas & contradictio.

III. Judicet igitur, qui liberum habet facultatum suarum usum, quique à præjudiciis vel tantillum se liberare potest. An non singuli termini in definitione Spiritus, æquè sint intelligibiles, cumque ratione sanâ congrui, ac termini in definitione corporis. Præcisa enim notio substantiæ in utraque occurrit eadem, in qua extensio comprehenditur & activitas sive connata sive communicata (materia enim semel mota, movere potest aliam materiam) & tam facile intelligitur quid sit penetrabile, quam quid sit impenetrabile; & quid sit indiscerpibile, quam quid sit discerpibile.

CAPUT II.

*De variis Spiritûs speciebus atque (I) Deo & facilitate illum concipiendi.*

I. **U**T igitur incongruum nihil est in notione Spiritûs in genere; ita, nec in conceptu specierum ejus, quales sunt Deus, Angeli,  
Ani-

Animæ humanæ & brutales, & λόγοι σπερματικοὶ seu formæ feminales

I I. Notio Dei quidem ob multa præjudicia difficilis videtur & superstitiosis & profanis, qui sive confusione sive stupiditate permoti, multis verborum coloribus probare solent, non concipi posse nec apprehendi Deitatem; illi quidem transcendentiam Naturæ ejus devotè nimis exaltando, hi verò fidem omnem de illius existentia nefariè deridendo. Nihilominus affirmare haud vereor, Ideam ejus seu notionem tam facilem esse, quam ullam aliam; nosque de ipso tantundem cognoscere posse, quàm de ulla re aliâ in mundo. Ipsam enim rerum essentiam, seu nudam Substantiam, nunquam possumus concipere animo, qualiscunque demum sit entitas: Attributa autem Dei tam conspicua sunt, quam ullius substantiæ: Undè facilè colligi potest, quod sit *Spiritus æternus, infinitus essentia & bonitate, omniscius, omnipotens, atque à seipso necessario existens.*

I I I. Jam dicant omnes, an non singuli hujus Definitionis termini sufficienter queant intelligi. De *Spiritu* enim jam dictum: Per *æternum* nihil intelligo, nisi id cui competit Duratio, fine & principio carens: Per *infinitatem essentia*, quod essentia seu substantia ejus æquè terminis careat atque duratio: per *infinitatem Bonitatis*, tam benevolam in Deo voluntatem, quæ ad innumerabilia & interminabilia beneficia sese extendit: per *omniscientiam omni-*

4 D. HEINRICI MORI

*potentiam*, potentiam cognoscendi, & faciendi omnia, quæ concipi possunt absque manifesta contradictione. Per *ιωτρωσιαν*, ut ita dicam, quod essentiam suam à nemine habeat: per *necessariam existentiam*, quod non possit non esse. Quid istis omnibus potest esse clarius?

IV. Si breviora quis velit, definiat Deum, quod sit *essentia absolute perfecta*. Quibus verbis adhuc plura comprehenduntur, quam prioribus: nimirum Potentia creandi, Omnipræsentia, seu Ubiquitas: quam posteriorem quidam Antiquiores respexerunt, cum Deum dixerunt esse circulum, cujus centrum sit ubique, circumferentia nusquam. Et hæc omnipræsentia certè non minus intelligibilis est, quam diffusio materiæ per loca omnia.

V. Si quis verò quærat hoc loco, quomodo partes (ut ita dicam) divinæ amplitudinis tantoperè cohæreant, cum partes materiæ tam discerpibiles sint? Respondeo, non minus admiratione dignum esse, quomodo altera substantiæ species, materia nempe, tam firmiter tamque irresistibiliter excludere possit partes materiæ, ut non detur penetratio dimensionum. Cum ergo ob difficultatem concipiendi impenetrabilitatem, non tollatur conceptus materiæ; quomodo ob difficultatem concipiendi indiscerpibilitatem, tolletur conceptus Spiritus atque adeo Dei? Nec tamen adeò difficilis est hæc assertio, ut intelligi nequeat; & cum inveniri possit unio quædam partium



tium materiæ, cujus nulla plane potest dari ratio, (qualis est in corporibus durissimis, circa quæ nemo concipere potest, quidnam sit illud quod partes illas tam firmiter contineat) cur negabitur talis partium unio seu cohæsió in Spiritu, eò quod nemo concipere queat quid sit illud, quod eas sibi invicem agglutinet? Præterea tamen cum de Deo sermo est, specialis datur illius indiscerpibilitatis ratio; quia nempe implicat contradictionem, essentiam absolutè perfectam, vel limitatam esse quoad præsentiam, vel locum mutare, sive quoad totum, seu quoad partes, cum utrumque symptoma sit imperfectionis, quæ cum natura Dei consistere nequit.

V I. Si porro quis dicat, se concipere non posse, quomodo Deus possit creare aliquid è nihilo; is certè ob hoc ipsum non debet negare rem ipsam. Quomodo enim in hoc casu judicabit facultas illa, cui nullum plane circa verum indagandum competit suffragium? Notentur sequentia Axiomata.

A X I O M A I.

Quicquid res quælibet est in seipsa, id ad nos nihil attinet, nisi quatenus cognoscitur à facultatibus nostris.

E X P L I C A T I O

Sicut enim nihil concernit facultatem visivam, nisi quatenus visibile est, ita nihil potest contingere, multò minus determinare facultates nostras cognitivas, nisi quatenus est cognoscibile.

A 3

A X.

## A X. II.

Quicquid incognitum nobis est, aut cognitum, ut possibile tantum, non potest nos movere seu determinare ullo modo, nec reddere indeterminatos: sed acquiescendum nobis est in præsentis lumine & plana determinatione nostrarum facultatum.

## E X P L.

E. g. Si argumentanti cuidam à sapientissima structura corporum brutalium in terra, ad existentiam Dei & Providentiæ; respondeat aliquis, Possibile esse ut existant in Saturno, Jove, aliove Planeta animalia formarum ineptissimarum; Equi nempe monoculi, tripedes, &c. Tauri cornua dorso gestantes, &c. hæc omnia certè dicenda sunt nimis invalida, ad enervandam prædictam conclusionem.

## A X. III.

Non omnibus nostris facultatibus competit jus atque suffragium ad determinandam veritatem, sed tantum communibus notionibus, sensibus externis, & evidenti deductioni rationis.

## A X. IV.

Quicquid non congruit cum omnibus, vel quibusdam harum, mera est phantasia, quæ nullius est momenti ad evincendam veritatem vel falsitatem, sive vigore sive perplexitate sua.

## E X P L.

Si enim à vigore Phantasiæ argumentari vellem ad veritatem hujus vel illius rei, tum omnia stultorum  
som-

somnia Oracula essent; si autem perplexitas imaginationis impedire posset assensum, certè nec credendum esset mathematicis demonstrationibus.

A X. V.

Quicquid clarum est uni harum trium facultatum, habendum est pro vero, si reliquæ nihil habeant, quod demonstrare posset contrarium.

A X. VI.

Quicquid rejicitur per unam facultatem, reliquis nihil habentibus pro illo, habendum est pro falso.

A X. VII.

Quicquid planè & manifestè conclusum est, habendum est pro indubitato, si non nisi tales difficultates contra id occurrant, quales omnium confessione in aliis quoque conclusionibus inveniuntur: quæ tamen ab omnibus pro indubitato veris habentur.

E X P L.

Posito aliquem concludere, dari infinitam materiam, seu dari infinitum spatium, argumentis convenientibus: si nihil objiciatur nisi id, quod inde & decima pars illius materiæ esset infinita; certè id non sufficiens erit, ad enervandam modo dictam conclusionem, quia certum est dari infinitam durationem, cujus tamen decima pars non potest negari esse infinita.

## CAPUT III.

*De Spiritu Finito & Creato.*

I. **J**am accedimus ad Spiritus finitos atque creatos, quales sunt Spiritus Angelorum, Hominum atque Brutorum; quibus adjungimus formas seminales, seu Archæos, ut Chymicis dicuntur, quamvis fortè Mundus illis non habeat opus. Proprietates ergò Spiritûs, quatenus est communis his omnibus notio, sunt Potentia se movendi, potentia se penetrandi; potentia se contrahendi & dilatandi, & indivisibilitas, seu indiscerpibilitas; quibus adde potentiam penetrandi, movendi & alterandi materiam. Hinc definiri potest Spiritus finitus, *quod sit substantia indiscerpibilis, quæ potest movere seipsam, item penetrare, contrahere, atque dilatare seipsam, quæque potest penetrare, alterare & movere materiam.* Jam examinabimus singulos hujus definitionis terminos, Unde apparebit illam tam esse claram, quam ullam aliam illarum rerum quas omnes absque scrupulo fatentur existere.

II. Quod indiscerpibilitas non sit impossibilis, jam dictum: jam præterquam quod rationi res non sit difficilis, etiam in gratiam Imaginationis aliqua proponam, explicando modum illum quomodo res se habere possit. Antiqua notio Lucis & intentionali-um specierum tantum abest ut sit impossibilis, ut

po-

potius habita sit aliquando, & adhuc habeatur à quibusdam pro verissima, nimirum quod lux & color ita radiant, ut describi solet in Philosophia Peripatetica. Jam maximè notandum est de Lumine, quod maximum habeat vigorem versus fontem suum, indeque paulatim decrescat. Reducamus autem materiam ad unum punctum lucidum, quod juxta principia Optica, implet distans aliquod spatium radiis suis; qui radii certè possunt reflecti versus centrum interjecto quodam opaco, adeo, ut lucidus iste orbis contrahatur; sed juxta Aristotelicorum Hypothesin pro impossibili habetur, ut possint abscindi à lucido hoc puncto, & seorsim conservari. Quibus igitur non satisfacit nuda ratio, illi exerceant, si placet, phantasiam suam, tali aliqua repræsentatione, circa conceptum indiscerptibilitatis spiritualis. Si enim considerent unicum radium hujus orbis lucidi, jam sufficienter concipient imaginatione, quomodo extensio & indiscerptibilitas possint simul consistere.

III. Si dicis: Lucidum centrum hujus orbis, seu substantiæ primariæ, vel est divisibile, vel absolutè indivisibile: Si divisibile non quadrabit ad probandam indiscerptibilitatem intimi puncti Spiritûs: si absolutè indivisibile, tum videtur esse nihil. Respond. hîc locum habere illud *Scaligeri*, quod *quicquid est infinite magnum, aut infinite parvum, imaginatione hominis non possit concipi.* Id quod certè fundamentum est illius perplexitatis, quæ ex isto proble-

mate de materia oritur, utrum nempe illa consistat ex punctis, an particulis divisibilibus in infinitum. Ut tamen propius ad rem ipsam accedamus, dicendum, etiamsi fateamur, intimum centrum vitæ, seu punctum primum substantiæ primariæ ( primaria enim ista Spiritûs substantia aliquando admittit gradus ) esse absolutè indivisibile, non tamen sequi, ne quidem juxta imaginationem, illud esse plane nihil. Fingamus enim planum perfectum, inque perfecto hoc plano, perfectum globum; necessum certè est fateri, globum hunc contingere planum, idque tantum in puncto, alias vel globus non erit globus, vel planum non erit planum. Jam unum corpus contingere aliud in nihilo est impossibile: Ergo punctum contactus non est nihilum. Ergo & intimum illud centrum vitæ est aliquid, & aliquid quidem tam plenum essentiali vigore atque virtute, ut quamvis gradatim deficiat, impleat tamen certam spheram spatii propria sua præsentia & activitate, sicut scintillula luminis illuminat obscurum aërem.

Quare cum non major sit perplexitas vel subtilitas in consideratione hujus centri vitæ, seu intimi Spiritûs, quam in atomis materiæ; per axioma VII. rectè concludi potest, Indiscerptibilitatem nihil comprehendere, nisi quod optimè consistat cum possibilitate existentiaæ subjecti sui.

CAPUT IV.

*Axiomata quaedam, ad explicationem indiscerptibilitatis necessaria.*

I. **H**actenus in gratiam *Phantasiae* curiosorum protulimus aliqua de extensione & indiscerptibilitate Spiritus: jam paulò ascendemus altius, ut demonstremus possibilitatem hujus notionis etiam severissimæ *Rationi*, idque è sequentibus principiis.

A X. I.

Globus tangit planum in aliquo, quamvis in minimo eorum quæ concipiuntur esse realia.

A X. II.

Minimum illud quod concipi potest, tam parvum est, ut non possit concipi discerpibile esse in minus.

A X. III.

Istud, quamvis tam parvum sit, repetitione sui tamen ascendit in insignem magnitudinem.

Ex. gr. Si hic globus moveatur in plano, inde constituetur linea: si cylindrus moveatur in plano, aut si illa ipsa linea à globo descripta multiplicetur in se ipsam, constituetur superficies, &c. Hæc nemo potest negare, eorumque veritas quanto diutius considerabitur, eo apparebit clarior.

A X. IV.

Magnitudo non potest oriri ex puris non-magnitudinibus.

Mul-

Multiplica enim nihilum cum nihilo vel millenis myriadibus, & semper producetur nihilum. Præterea, si illud in quo globus tangit planum, plus quam indiscerpibile est, id est, purè indivisibile, manifestum est, lineam consistere è punctis Mathematicis, adeoque erit purè indivisibilis; quod est omnium absurdorum absurdissimum.

## A X. V.

Eadem res ob extremam parvitatem, potest esse absolutè indiscerpibilis, quamvis simul sit intellectualiter divisibilis.

Id plane manifestum est è præcedentibus: Omnis enim quantitas est intellectualiter divisibilis; & quoddam Indiscerpibile antea demonstratum est, esse quantitatem, adeoque & divisibile, aliàs magnitudo consisteret è punctis mathematicis. Sic ergo inveni possibilitatem Centri Spiritualis, quod non est punctum mathematicum, sed substantia, quantitate tam parva, ut indiscerpibilis sit; sed virtute tam magna, ut possit ex sese dimittere insignem sphæram substantiæ secundariæ, ut ita dicam; & ut actuare possit non parvam materiæ molem; ita ut integra hæc sphæra vitæ & activitatis interim sit absolutè indiscerpibilis.

II. Ad id probandum adjicienda sunt adhuc principia quædam evidentissima.

## A X. VI.

Emanativa causa est notio rei possibilis.

Per emanativam causam intelligo talem causam,  
quæ



quæ per nudam existentiam, nulla accedente activitate, vel causalitate alia, producit effectum. Quod illa possibilis sit, manifestum est, cum demonstrari possit de facto talem causam in mundo reperiri, quia necessum est ut aliquid moveat seipsum. Negato autem Spiritu, materia necessariò movebit seipsam, ubi certè non poterit concipi, activitas aut causalitas ulla alia, nisi nuda essentia materiæ; unde hæc motio dicenda erit oriri. Si enim supponatur ulla causa alia, à qua sit ista motio, tum certè non sine ratione adhuc alia ponenda erit, quæ sit causa istius & sic in infinitum.

## A x. VII.

Effectus emanativus coëxistit cum verâ substantiâ illius quod dicitur esse illius causa:

Id necessariò verum est, quia vera illa substantia, quæ dicitur esse causa, est causa adæquata & immediata, cujus nudæ essentiæ nihil opus est adjungi ad producendum istum effectum; Inde, ex eâdem ratione, si effectus est unquam, necessum est ut semper sit, seu quamdiu existit ipsa substantia.

## A x. VIII.

Nullus effectus emanativus, qui non excedit virtutes & facultates causæ suæ, dici potest impossibilis esse ut producat à causâ.

## A x. IX.

Dari potest substantia, tantæ virtutis atque excellentiæ, ut possit producere aliam substantiam causalitate

litate emanativa, modo substantia producta debita proportione sit inferior illâ, à quâ producta est.

Id planum est è principio præcedente. Nulla enim est contradictio, nec impossibilitas, ut causa aliqua producat effectum ignobiliorem se ipsâ: hoc ipso enim eo reddimur certiores, causam illam non excedere capacitatem facultatum suarum. Nec in eo est aliqua incongruitas, quod una substantia producere debeat aliud quid, quod quodam modo dici possit substantia, sed secundaria tantum & emanatoria; Fatendo primariam substantiam esse objectum Divinæ creationis magis adæquatum, secundariam verò referri ad substantiam primariam sive centram, per modum relationis causalis. Posito enim Deum creasse materiam cum immediata potestate movendi se ipsam; Deus certè erit causa prima motionis non minus quam materiæ, & nihilominus materia rectè dicitur movere se ipsam. Tandem secundaria hæc seu emanatoria substantia, rectè dici potest substantia, quia est subjectum certis facultatibus & activitatibus præditum, nec inhæret ut accidens, in ulla alia substantia seu materia; sed occupare potest spatium proprium, etiamsi omnis materia, vel substantia quæcunque alia removeatur ex illo spatio, per quod extensa est, modo substantia ejus primaria salva sit.

III. Ex istis principiis non imaginativam tantum, sed rationalem quoque apprehensionem habere possumus, illius partis Spiritûs, quam dicimus substan-  
tiam

tiam illius secundariam. Cujus extensio, orta graduali emanatione è prima & primaria essentiâ, quam Centrum Spiritus vocamus, (quæque non est impossibilis per Axiomata 6. 8. 9.) dicenda est habere perfectam partium indiscerpibilitatem, per Ax. 7. Quia implicat contradictionem, effectum emanativum esse disjunctum ab origine suâ.

IV. Atque ita demonstratum est, qua ratione Spiritus, à centro ad circumferentiam prorsus sit indiscerpibilis. Jam si aliquis tam sit curiosus, qui quærat, quomodo partes ejus cohæreant, sumptâ lineâ, quæ decussatim à centro ductas interfecet. (Imaginatio enim poterit concipere, illas lineas omnes à se invicem esse solutas.) Respondeo; Conjecturam imaginationis hic partim veram, partim falsam esse, seu potius, vel veram esse vel falsam, prout nimirum explicetur. Si enim per illud solutum esse, intelligat actualem separationem, falsa est & ridicula; si solummodo talem discernibilitatem, ut una pars possit separari ab aliâ, id certè non tantum erit verum, sed posito essentielles radios non plenè satis esse duplicatos, planè necessarium; aliàs Spiritus non posset contrahere unam partem, & extendere alteram, quæ tamen Hypothesis necessariò debet admitti. Undè objectio hæc, tantum abest ut infringat possibilitatem hujus notionis, ut potius occasionem præbeat, exactam illius concinnitatem plenius declarandi.

Breviter : Spiritus à centro ad circumferentiam plane indiscerpibilis est ; juxta lineas decussantes, partes ejus arctè quidem cohærent, non tamen opus est ut sint indiscerpibiles. Atque illa cohæsiō consistere poterit in immediata harum partium unione, & transversa penetratione & transcursione substantiæ secundariæ, per totam illam vitæ sphæram, quam Spiritum vocamus.

Nec admiratione opus est ; quomodo tam plenus Orbis sese diffundat è puncto tam exiguo tamque subtili, quale posuimus esse centrum hujus ; *Ἐὶ γὰρ ἡ τῆς ὀγκῶ μικρόν ἐστὶ, δυνάμει ἢ πριμότητι, πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων*, inquit Aristoteles Eth. ad Nic. l. 10. c. 7. de mente hominis. Præterea idem apparet oculo corporeo, lumen intuenti, cujus eximia sphæra, à minima scintillula orta, aërem illuminat.

V. Hæc est purissima creati Spiritûs idea in genere, circa quam si adhuc aliqui residui esse putantur scrupuli, illi certè non possunt esse alii, quàm quos communes & materia habet, nimirum impossibilitas concipiendi puncta, seu particulas minimas ; & quomodo quod discernibile seu divisibile est, cohærere tamen queat : hæc autem cum non obstant quin materia actu existat, quomodo hinc concludi poterit impossibilitas existentiae spiritualis.

Et tamen hypothesis illa maximè lubrica cui hîc insistimus, tam intricata non est, quam illa difficultas in materia. Si enim id saltem concedatur, in quo

nut-

nullam invenio absurditatem, particulam aliquam materiæ posse existere tam parvam, ut nulla ratione possit fieri minor; certè manifestum erit, unam eandemque rem, licet intellectualiter divisibilem, realiter tamen posse indiscerpibilem esse. Et certè id non tantum possibile est, sed necessarium videtur esse, ut id verum sit: Quamvis enim fateremur materiam esse discernibilem in infinitum; posita tamen causâ quadam, cui competat infinite distincta perceptio & infinita potestas (qualis est Deus) ista causa certè deducere poterit in actum potentiam hanc materiæ, quâ in infinitum discernibilis esset, id est, actualiter & simul discernere poterit atque disjungere materiam in tot particulas, in quot discernibilis est. Undè sequitur, unam talium particularum reductam ad perfectam hanc parvitatem, deinde penitus esse indiscerpibilem, & tamen intellectualiter divisibilem, alias quantitas consisteret ex meris punctis, quod implicaret contradictionem.

Demonstravimus igitur materiam consistere è partibus indiscerpibilibus; cumque nulla alia facultas opponere queat aliquid, neque sensu, neque communi ulla notione contradicentibus, dicendum est juxta Axioma (è superioribus) quintum, conclusionem esse veram.

VI. Objiciant quidam à Ratione, quod cum perfectæ illæ parvitates concedantur intellectualiter semper esse divisibiles, necessum sit illas quoque semper

B

ha-

habere partes in quas sint divisibiles, undè sequatur illas quoque semper esse discerpibiles: sed Resp: Divisionem in partes non implicare ullam discerpibilitatem, quia partes conceptæ in aliquo horum *Minimorum Corporalium* (liceat ea sic appellare) potius sunt partes essentielles seu formales, quam integrales, nec magis possunt actu separari, quàm sensus & ratio ab anima humana. Nam de essentia materiæ quidem est divisibilem esse, sed in essentia ejus non includitur esse discerpibilem, deficiente ergo discerpibilitate non opus est ut etiam divisibilitas negetur.

VII. Turbulentæ illæ & spurix suggestiones seu representationes Phantasiæ, quæ perfectas illas parvitates ut rotunda corpora exhibent, inter quæ semper residua sint triangularia spatia absque omni materia, in hoc casu nullius sunt momenti, cum semper loco quantitatis indiscerpibilis discerpibilem fingant. Cumque adeo falsam inferant evidentiam, testimonia illarum non sunt audienda.

Quia igitur Phantasia non est idonea ad exhibendum objectum quod consideramus in debita sua proportione, sciendum, perfectas illas parvitates tam arctè sibi invicem adhærere posse, ut nulla relinquant intra sese intervalla: id quod omnino videtur necessarium; si enim existerent talia intervalla, certè in illis recondi possent particulæ minimis omnibus minores, quod contradictorium & impossibile est. Imo si in gratiam Phantasiæ admitteremus talia intervalla,

ma-

*Tractatus de ANIMA.* 19

maxima certèque concedenda esset absurditas, est quod nimirum detur *Vacuum insensibile*, quod nulla facultas posset confutare. At magis cum ratione nostra convenit, non admittere illud, & rectius ita determinantur Minima hæc corporalia, (ut illa voco) ut quantitas illorum non excedat contactum sive globi & plani, sive coni & plani, sive globi & globi; unde consequitur, illa contingere simul totum latus, ut propterea nullibi relinquere queant vacua quædam intervalla.

Nec magis concipi possunt angulositates vel rotundæ protuberantiæ in quantitate infinitè parva, quàm in infinitè magna; fatendumque est rationem hominis in istis speculationibus transcendendo, longè superasse imaginationem,

VIII. Atque ita declaravimus plenariam atque distinctam notionem Spiritûs; idque tam accuratè, ut nulla ratio eandem vel impossibilem, vel non-intelligibilem dicere queat.

CAPUT V.

*De reliquis attributis Spiritûs.*

I. **I**ndiscerpibilitatem Spiritûs probavimus, tam quoad centrum, quam quoad circumferentiam, tam in primaria quam in secundaria substantia; evicimusque eam esse notionem & congruam & facilem. Proxima proprietas est Potentia sese movendi, quæ necessaria est alicujus saltem rei proprietas.

Nam per *potentiam sese movendi* nihil intelligo aliud, quam activitatem sui, quæ necessariò attribuenda est Subjecto cuilibet per se activo. Quicquid autem simpliciter activum est per se, non magis desinere potest activum esse, quàm existere; id quod indicium est, materiam non esse per se activam, quia reducibilis est ad quietem. Hocque ipso probatur quod non tantum activitas per se pertineat ad Spiritum, sed etiam quod tale aliquod ens, quale dicitur esse Spiritus, revera in mundo existat, à quo nempe activitas sit communicata materiæ. Et profecto si materia, qua talis, motione polleret, nihil cohærere posset, sed silices, Adamantes, æs, ferrum, imo tota hæc terra subito liquefcerent in substantiam, omni aëre subtiliorem: imo potius nunquam fieri potuisset ut ista omnia condensata essent in talem substantiæ consistentiam. Sed satis erat hoc loco probasse potentiam sese movendi, concipi posse æquè Spiritui ac materiæ competere, quod planum est cuivis.

I I. Congruitas & possibilitas potentiaë sese penetrandi in Spiritu creato, deducitur partim à terminabilitate subjecti, & partim ab indiscerptibilitate & sese movendi potentia. Nam potentia sese penetrandi non potest attribui Deo, quia impossibile est aliquid ipsi competere, quod imperfectionem involvit; & hæc potentia concipi non potest, absque diminutione præsentiaë subjecti sui, aut absque hoc adjuncto, quod quædam partes illius subjecti non tam benè se

ha-



habéant, quam sese possint habere; quod contradictorium est in Ente absolutè perfecto. Ab attributis Indiscerpibilitatis & potentiae sese movendi (cui addi potest penetrabilitas è generali Spiritûs notione) manifestum est talem Spiritum, qualem definivimus, cui competit potentia movendi totum extensum essentiae suae, posse etiam determinare hanc motionem, juxta proprietates naturae suae: si itaque determinationem exteriorum partium versus interiora, tunc illa redibunt versus centrum potestatis essentialis; id quod facile fieri poterit absque omni repugnantia, cum totum subjectum sit penetrabile; nec ullum inde sequetur incommodum, cum idem sit indiscerpibile.

III. Ab ista se penetrandi potentia, non facile tantum, sed necessariò fluit potentia sese contrahendi & dilatandi. Substantia enim ista per se motum habens, quam Spiritum vocamus, non poterit penetrare seipsam, nisi simul sese contrahat; nec reduci poterit ad priorem statum, nisi simul sese dilatet, adeò ut non opus sit pluribus de his differere.


IV. Illam potentiam Spiritûs, quâ penetrare potest materiam, facile intelligere possumus, si Spiritum tantum consideremus ut substantiam, cui immediate competat activitas. Tum enim non major est difficultas concipiendi, quomodo activa hæc substantia pervadat hanc vel illam materiae partem, quam quomodo ipsa motio illam pervadat.

V. Maxima difficultas in eo consistit, quomodo iste Spiritus, qui plane incorporeus est, possit movere materiam, etiamsi in eâ sit. Videtur enim tam subtilis esse, ut transeat omnino, non majoribus relictis vestigiis presentia suæ, quam quæ sunt fulminis in vagina, quamvis ibi fortè liquefecerit gladium, quia iste resistebat. Spiritui autem nihil potest resistere, illique arctissima quæque materia facilè penetratur & pervia manet. Fundamentum hujus difficultatis in eo consistit, quod non concipi queat ulla unio inter materiam, & talem substantiam, quæ tam facilè illam penetrare potest. Si enim semel tantum possemus concipere unionem materiae & Spiritus, tum certè activitas Spiritus influentiam suam haberet in materiam, sive ad generandam, sive ad augendam, sive ad dirigendam illius motionem.

Sed non obstante penetrabilitate & facili transitu Spiritus per materiam, tamen omnino datur potentia ista firmiter uniendi, illaque tam est intelligibilis, quam illa quæ intercedit inter ipsas materiae partes. Quodnam enim gluten, quodve cæmentum colligat duræ illius materiae partes in lapidibus atque metallis, inque quocunque alio homogeneo, quod tale est & quoad sensum & quoad rationem? nullum certè, nisi immediata unio & quies. Jam quod unionem concernit, nulla certè comparatio est inter unionem materiae cum materia, & unionem Spiritus cum materia. Illa enim tantum superficialia est, in istâ par-

tes

tes intimæ unitæ sunt quaquaversum per singulâ junctâ. Nec metuendum est ut cohæreant, exinde, quia Spiritui competat potentia transeundi; In isto



enim corpore durissimo A, concipiatur interna quædam superficies E A C, quæ certè tam lævis est ut nulla possit concipi lævior; quare igitur superior pars E D C non promovetur in inferiori E F C ad motionem quamcunque

minimam, præsertim si E F C fingatur esse firmata, cum altera impellitur? Cum ergò hæc facilitas corporum prolabendi supra sese invicem absque impedimento, Phantasiæ nostræ tam videatur necessaria, quam transitus Spiritus per omnia corpora, sine adhæsione, (nec tamen actu contingat) hinc planum est per Axiom. (è superior.) 7 firmam unionem inter Spiritum & materiam omnino esse possibilem, quamvis illius modum nequeamus concipere.

Deindè, Quies non minus competit huic conjunctioni materiæ cum Spiritu, quam materiæ cum materia. Posito enim totum corpus A moveri æquali velocitate huc illuc, tum certè partes  $\hat{a}$  A, juxta illum quietis sensum, quo explicare volunt cohæsionem partium materiæ, verè quiescunt. Dico igitur, in unione Materiæ cum Spiritu, cum partes materiæ à Spiritu recipiant æqualem motus velocitatem, qua-

lem ipse Spiritus exserit, nec majorem; utrumque tunc quiescere in firma inter sese unione. Id quod accidit in unione quoque quæ longè minus immediata est, quam illa de qua loquimur. Si enim saltem librum manui imponamus, posito manum nostram non moveri velociori motu, quam ipsa libro communicat, nec librum fortius impelli quam manum, liber certè & manus retinebunt unionem suam & movebuntur simul. Tam facilè concipi potest quomodo Spiritus movere queat corpus, absque omni perplexitate seu contradictione, nisi talem velimus etiam in Unione & motione ipsius materiæ intelligere.

VI. Ultimus terminus Definitionis Spiritûs, est *Potentia alterandi materiam*; quæ necessariò sequitur ex potentia movendi illam, & dirigendi ejus motum. Alteratio enim nihil est aliud quam variatio sive figurarum, sive situs, sive graduum motionis in particulis, quæ omnia ex motu locali resultant. Atque ita declaravimus intelligibilitatem & possibilitatem omnium terminorum, qui inveniuntur in definitione Spiritus creati in genere; idque ita ad minimum, ut inde cum ratione possint dari causæ quorundam visibilium in mundo phænomenorum: jam descendemus ad definitionem primariarum specierum Spiritûs.

## CAPUT VI.

*De Speciebus Spiritûs Creati primariis, earumque definitione.*

I. Quatuor Species Spiritûs enumeravimus, quæ λόγοι σπερματικοὶ sunt seu formæ seminales, animæ brutorum, anima humana, & illa anima seu spiritus iste qui actuat seu informat vehicula Angelorum. Angelos enim considero ut centra verè composita, consistentia ex anima & corpore, ut in hominibus, & brutis res se habet. Existentiam horum omnium probare hujus loci non est: Hic enim constitui definire tantum & exponere notiones illorum, in quantum necesse est, ut evincamus, illas esse ideas talium rerum, quæ in conceptu suo non implicant contradictionem vel impossibilitatem; id quod facillimum nobis erit: cùm primaria difficultas fuerit in generali notione Spiritus, quam omnimodè explicuimus

II. Generalis illa notio contrahi potest in Species, sed per differentias non alias, quàm quæ dici possunt potentiaæ seu proprietates peculiare, competentes uni Spiritui, exclusis reliquis. Unde sequitur, nos, si describamus singulas istas species per immediatas suas & internas proprietates, dedisse definitiones, quam fieri potest, optimas.

III. Initium faciemus ab eo, quod simplicius est, nimirum à formis seminalibus rerum, quas, nihil jam tradendo de illarum existentia, juxta possibilem illa-

rum ideam, sic definimus. Seminalis Forma est *Spiritus creatus, organizans debitè præparatam materiam ad vitam, & vegetationem huic vel illi plantarum speciei propriam.* Non possum concipere quid id esset, quod excipi posset contra istam Descriptionem, cum illa nihil contineat, nisi quod congruum revera est & intelligibile. In eo enim quod Spiritus est, intrinsecè movere potest materiam, aut ad minimum motionem ejus dirigere. Quod non est Spiritus omnipotens, sed finitus atque creatus, inde potentia ejus restringi potest ad debitè præparatam materiam, non minus quoad vitalem unionem, quam quoad motionem; adeò ut ille, qui creavit particulares hos Spiritus, dicendus sit variasse illorum facultates quæ vitalem unionem concernunt, secundum diversitatem præparationis materiæ, atque ita limitasse totam illorum omnium comprehensionem, ut nullus eorum capax esse possit vitaliter conjungi cum ulla materia alia. Atque eadem illa prima rerum causa, quæ concessit ipsis potentiam descendendi ad unionem materiæ, debitè præparatæ, eandemque movendi, poterit etiam tales illi motioni leges fixisse, ut quoties incidat in materiam sibi convenientem, producat talem vel talem plantam, id est, conformet materiam in talem figuram, colorem, aliasque proprietates, quales in sensus nostros incurrunt.

I V. Iste est primus gradus Vitæ particularis in mundo, si talis revera datur. Ut autem alicubi no-

tat

tat Aristoteles, *Essentias rerum similes esse numeris, quorum species mutantur, addita aut subtracta unitate*; ita si hinc ad Vegetationem addas aliam quandam facultatem intrinsecam, sensationem nempe, tum habebis animam Bruti. Nuda enim substantia ipsa revera non potest haberi pro explicitè-cognoscibili, cum penitus in se sit imperceptibilis; unde tantum cum facultatibus nobis res erit. Subiectum ergo à quo est cum vegetatione sensatio, est generalis notio animæ brutalis. Id dividitur in varias Species, ita tamen ut effectus singularum internarum facultatum discerni queat, in singularum specierum forma atque proprietatibus.

V. Si ad Vegetationem & Sensationem Rationem propriè dictam addamus, tum animam humanam habemus, quæ perfectius ita describi potest; quod sit *Spiritus creatus, Sensus atque Rationis capax, cum potentia organizandi terrestrem materiam in formam humanam, per vitalem cum illa unionem.*

VI. Atque in eo tantum, ut puto, Spiritus seu anima Angeli ( id enim animam appellare audeo, quicquid demum sit, quod habet facultatem vitaliter actuandi materiam ) differt ab animâ hominis, quod anima Angeli possit vitaliter actuare corpus Aërium vel æthereum; nec tamen nasci potest in hunc mundum cum corpore terreno.

VII. Ut finem tandem imponam istis definitionibus, dico Animam Angelicam esse Spiritum creatum,

tum, rationis sensusque capacem, cum facultate qua possit vitaliter uniri cum corpore aëreo, aut æthereo tantum, illudque actuare.

Quæ potestas in corpus aëreum vel æthereum facile potest intelligi è generali notione Spiritûs; in præcedentibus declarata. Cum enim ibi evictum sit, unionem cum materia non esse incompatibilem Spiritui, & consequenter nec motionem ejus, nec illam speciem motus quam contractionem & dilatationem dicimus; hæ facultates certè, si attentius considerentur, necessariò inferunt possibilitatem activationis & unionis animæ Angelicæ cum æthereo vel aëreo corpore.

VIII. *Platonici* adhuc alios ordines Spirituum seu immaterialium substantiarum describunt, quales sunt *Nóes* & *Evádes*. Sed cum plus in talibus speculationibus sit subtilitatis quam vel utilitatis vel certitudinis, hoc loco præteribo ista; sufficit enim quod evicerim, nullam dari incongruitatem, nec impossibilitatem in notione Spiritus, vel substantiæ incorporeæ.

IX. Sed alia adhuc restat via idem inferendi, idque per argumentum *Cartesii*, quo concludere voluit, dari de factò substantiam in nobis, distinctam à materiâ; nempe mentem nostram. Cum enim omnis affectio & proprietas realis sit modus alicujus substantiæ, nec modi reales concipi possint, citra subjectum suum; hinc infert Auctor, quod, cum dubitare possi-



possimus an tale aliquod ens, quale est corpus, detur in rerum natura (qua dubitatione secludimus cogitationem à corpore) necessariò detur alia quædam substantia, distincta à corpore, cui competat cogitatio.

Sed fateor id argumentum non eousque pertingere, quo volebat *Cartesius*, nempe ad probandam in homine substantiam aliquam à corpore ejus distinctam. Cum enim possint esse modi communes pluribus subjectis, cumque dici possit, (ex hypothesi) cogitationem competere non minus substantiæ corporeæ quam incorporeæ, ita ut vel illi tribuatur, vel huic; certè argumentum illud non probat, quod illud subjectum, quod in nobis cogitat, vel percipit, sit substantia à corpore nostro distincta, sed id tantum probat, quod talis possit esse substantia, cui competat facultas cogitandi seu percipiendi; quæ tamen non sit corpus. Cum enim impossibile sit dari ullum realem modum, qui in nullo subjecto sit, nosque clarè concipiamus cogitationem, ut independentem à substantia corporeâ; necesse est, dari quandam aliam substantiam, à qua illa dependeat; illaque necesseriò erit substantia incorporea.

## CAPUT VII.

*De iis quæ objicit Hobbesius contra Possibilitatem  
hactenus probatam.*

I. **C**redo me ad admirationem usque curiosum  
atque sollicitum fuisse, ut probarem Existen-  
tiam Spiritus, vel substantiæ incorporeæ, esse  
possibilem. Non est autem quod quis miretur, me  
tantum insumpsisse laborem ut tam parum progre-  
derer, nudamque tantum rei possibilitatem evince-  
rem. Quamvis enim videar parùm obtinuisse victo-  
riæ, magnam tamen jam parti adversæ hoc ipso intu-  
li cladem, cujus maximum robur videtur consistere  
in firmissima persuasione, quod vera notio Spiritus  
seu substantiæ immaterialis perfecta sit impossibili-  
tas, & pura contradictio. Unde certè insinuantur  
consequentia non meliores: Quod impossibile sit  
dari Deum, animam, Angelumve vel bonum vel  
malum, quod nulla sit immortalitas vel vita futura;  
quod nulla sit religio, nulla pietas vel impietas, nec  
Virtus nec Vitium, nec justitia nec injustitia, nisi  
illa quam placet tenenti gladium ita vel ita dici:  
Quod nullum detur liberum arbitrium, nec conse-  
quenter ullus remorsus conscientia in ulla re; quod-  
que omnia quæcunque existunt, nihil sint nisi mate-  
ria & motio corporea; quod singuli actus humanæ  
vitæ tam sint necessarii, quam vibratio fulminis, &  
ful-

fulguris coruscatio; cum cæcus materiæ impetus ubique vel proruat, vel inhibeatur, cum certa quadam & determinata necessitate, non aliter ac cursus torrentis cujusdam post insignem tempestatem, magnasque pluvias.

I I. Cum autem perpendo, quanti sit momenti explicare conceptum, quem aliqui habent de substantia incorporea, quod scilicet contineat contradictionem in terminis; viderer mihi defuisse toti causæ, si contentus nuda recitatione rationum, quibus illius possibilitatem probavi, non producerem simul argumenta illorum, quæ maximè videntur apta ad probandum contrarium. Et certè non meminime invenisse aliquem, qui aptior dici queat huic negotio, quam est conterraneus noster *Hobbesius*; cujus inexuperabilis confidentia circa veritatem suæ conclusionis, persuadere potest cuivis qui debitè consideraverit excellentiam ingenii ejus, quod selegerit argumenta maximè demonstrativa, in ista causa, eoque devenit, quo humana inventio ullo modo pertinere potest.

III. Ne tamen quis suspicetur me perperam intelligere assertionem ejus, aut robur argumentorum ejus non satis exprimere, hîc ipsissima ejus verba apponam, in omnibus argumentis quæ in scriptis ejus invenire potui, ne ipsi dicatur injuria fieri. Locus primus quem adducam extat in *Leviathanis* ejus cap. 34. his verbis: *Vocabulum corpus in generalissima*

acceptione significat illud, quod implet sive occupat certum aliquem locum, seu fictum spatium, nec dependet ab imaginatione, sed realis est pars illius quod Univerſum dicimus. Cum enim Univerſum ſit aggregatum omnium corporum, non poterit realiter ulla eius pars exiſtere, quæ non ſimul ſit corpus, nec aliquid propriè dici poterit corpus, quod non ſimul ſit pars illius (corporum omnium aggregati) Univerſi. Idem quoque, quia corpora ſubjecta ſunt mutationi, id eſt, quia variè apparent ſenſibus viventium; ſubſtantia dicitur, id eſt, quod ſubjectum eſt variis accidentibus; ita ut aliquando moveatur, aliquando quieſcat, noſtrisque ſenſibus aliquando videatur calidum, aliquando frigidum, aliquando ſub hoc colore, odore, gultu, ſono, quandoque ſub alio. Et hanc diverſitatem apparentiæ (productam inde, quod diverſimodè operentur corpora in organa ſenſuum noſtrorum) attribuimus alterationibus corporum operantium, illaque nobis dicuntur corporum accidentia. Et juxta hanc vocis acceptiorem, ſubſtantia & corpus unum idemque denotant; & ſubſtantia incorporea ſunt voces, quæ conjunctæ deſtruunt ſe invicem, æquè ac ſi quis corpus diceret incorporeum.

I V. Secundus locus extat in *Phyſicis* ejus Part. 4. cap. 25. art. 9. his verbis: Sed notandum eſt hoc loco, certa quedam ſomnia, ſpeciatiim talia, quæ aliquibus contingunt inter ſomnum & vigiliam, quæque illis accidunt, qui naturam ſomniorum non intelligunt,

gant, penitusque superstitiosi sunt, nec olim numerata esse, nec jam numerari inter Somnia. Apparitiones enim quas homines videre putant, vocesque quas audire putant in somno, non creduntur esse phantasmata, sed entia per se subsistentia, & objecta extra eos qui somniant. Quibusdam enim, non minus vigilantibus quam dormientibus, praesertim facinorosis, & noctu, inque locis sacris, Timor solus adjutus paululum per historias talium apparitionum, in mentibus suscitavit terribilia phantasmata, quae recepta sunt, & adhuc falso recipiuntur pro entibus vere realibus, sub nomine Spirituum & Substantiarum incorporearum.

V. Tertium locum producimus ex eodem libro, Part. I. c. 5 ar. 4. Cum videamus Spiritus, sensibiles species, umbram, lumen, colorem, sonum, spatium, &c. apparere nobis non minus dormientibus, quam vigilantibus, illa non possunt esse entia extra nos, sed tantum phantasmata illius mentis, quae ea sibi imaginatur.

VI. Quartus locus sit ex illius Humana Natura, c. II. ar. 4. Sed Spiritus supernaturales communiter significant substantiam aliquam absque dimensione, quae duo egregie sibi contradicunt. Et Ar. 5. Nullibi puto vocem Incorporei in Bibliis inveniri, sed de Spiritu dicitur, quod commoretur in hominibus, aliquando quod habitet in iis; aliquando, quod ad illos accedat, quod descendat, abeat, veniat, quodque Spiritus sint Angeli, id est, nuncii, quae voces omnes localitatem

*implicant; localitas autem dimensio est, quicquid autem dimensionem habet, id corpus est.*

VII. Quinta excerptio iterum sit è *Leviathane* ipsius cap. 12. *Quod attinet ad materiam sive substantiam agentium (ita dictorum) invisibilium, illa, vi naturalis cogitationis, non potest alio conceptu cognosci, quam quod eadem sit cum illa, quam habet anima hominis, quodque anima hominis eandem habeat substantiam, quam illud, quod apparet in somnio dormientibus, aut in speculo vigilantibus. Quæ omnia homines isti, qui non intelligunt tales apparitiones tantum phantasia esse creaturas, pro realibus & externis habent substantiis, eaque Spirituum nomine appellant, ut Latini illis Imaginum, Umbrarumque nomina tribuebant; Spiritus appellantes, id est, tenuia & aërea corpora, putantesque hos esse invisibiles illos Agentes, qui timentur, qui que similes sint hominibus, nisi quod pro lubitu appareant & evanescant.*

*Verum ista opinio, quod tales Spiritus sint incorporei & immateriales, nunquam ingredi poterit mentem ullius hominis naturaliter; quia etiamsi componi queant voces contradictoriae significationis, quales sunt Spiritus & Incorporeum, nunquam tamen haberi potest conceptus ullius entis, quod illis respondeat.*

*Huc referemus & illa verba, quæ habet in tractat. de Humana Natura c. II art. 5. Scire quid sit Spiritus, id est; habere naturalem de eo evidentiam, impossibile est. Omnis enim evidentia conceptus est,*

Et omnis conceptus imaginatio est, Et à sensu procedit; Spiritus autem supponimus tales esse Substantias, quæ in sensus non agunt, adeoque nec sunt conceptibiles.

VIII. Sextus locus extat in Leviath. c. 45. his verbis: Cum hæc natura visionis nunquam explicata sit ab antiquis Physicis, multò minus, ab iis, qui nihil considerant eorum quæ ab usu communi tam remota sunt: difficile erat hominibus concipere has imagines Phantasiâ Et Sensu, sub aliâ notione, quam quod sint rerum, realiter extra nos subsistentium. Illasque quidam (quia evanescent ex improvviso) absolute statuunt esse incorporeas, id est, immateriales, seu formas absque materia; colores, figuras, absque ullo corpore colorato vel figurato, ita tamen ut possint assumere corpora aërea, (seu vestes) seque præbere spectandas oculis corporeis pro lubitu; Alii autem dicunt, illas esse corpora, creaturasque viventes, sed ex aëre factas, aliâve subtili Et ætherea materia, quæ cum videri velint, condensari queat. Utrique tamen in una generali appellatione conveniunt, ut illas Demonas dicant: quasi manes, quos somniant, non sint habitatores cerebri sui, sed aëris, cælive aut inferni, nec phantasmata, sed Spiritus; eadem probabilitate, ac si quis diceret, se videre Spiritum suum in speculo, aut spiritus stellarum in flumine; aut si quis ordinariam illam Solis apparitionem, juxta quam pedis quantitatem non excedit, dicat Dæmonem seu Spiritum magni il-

*lius Solis, qui illuminat totum Universum.*

IX. Locum septimum ex ejusdem libri c. 46. excerptemus: ubi de nugis (ut ait) abstractarum essentialium, formarumque substantialium, sic scribit: *Mundus, (non intellecta tantum terra, sed toto Universo, totaque omnium rerum, quotquot existunt, massa) corporeus est, habetque dimensiones magnitudinis, nempe longitudinem, latitudinem & profunditatem; ita qualibet pars corporis, pariter corpus est, easdemque habet dimensiones; & consequenter qualibet pars Universi corpus est, adeo ut quicquid non est corpus nec sit pars Universi: & quia Universum continet omnia, hinc illud quod ejus pars non est, nihil est, & consequenter nullibi.*

X. Octavum locum desumimus ex verbis ejusdem capituli paulo post sequentibus: *Qui semel inciderunt in errorem de essentiis separatis, in hoc ipso necessario involvuntur variis absurditatibus aliis, inde fluentibus. Cum enim formas velint esse reales, tum necessario illis aliquem assignare debent locum. Quia autem incorporeas illas esse statuunt, absque omni dimensione quantitatis, & omnes tamen fatentur locum esse dimensionem, nec impleri posse, nisi re corporea; tum sublevare coguntur fidem suam distinctione quadam, quod non sint alicubi circumscriptive sed definitive; qui termini, cum pura sint verba, inque hac occasione nihil significant, adhibentur tantum Latine, ut vanitas illorum eo rectius occultetur. Circumscri-*  
*ptio*



ptio enim rei alicujus nihil aliud est, quàm determinatio sive definitio spatii ejus, atque ita ambo termini definitionis idem sonant. Et in specie de eſſentiâ hominis, (quam animam ejus dicunt;) affirmant illam totam esse in minimo digito, totamque in qualibet parte alia, quantillacunque, nec plus tamen animæ esse in toto corpore, quam in ulla harum partium: poteritne igitur Deus coli talibus absurditatibus? Et omnia tamen ista necessario credenda sunt iis, qui credunt existentiam animæ incorporeæ à corpore separate.

CAPUT VIII.

Responsiones ad hæc Hobbesiana.

I. **P**ropositis primariis argumentis *Hobbessii*, contra Substantias immateriales, nihil restat nisi ut illa examinemus, an nimirum robur illorum ullam habeat proportionem ad certitudinem fidei, seu potius incredulitatis ejus circa ista. Primum itaque argumentum, demptis ambagibus, ita se habet: Si Corpus & Substantia unum idemque sunt, incorporea substantia non poterit dici nisi cum contradictione: Sed verum prius, E. & posterius. Minor probatur, quia quicquid in Universo est, corpus est. Sed certè cuilibet manifestum est, id non esse probationem, sed potius rei probandæ positionem; nempe, quod Universum nihil sit nisi aggregatum corporum: quando hoc probatum erit, tum

admittemus consequentiam, hoc verò non probato nihil dicitur.

I I. Secundum argumentum est: *Cujuscunque origo tantum est ab insomniis, timore, & phantasia superstitiosa, illud in mundo non habet realem existentiam. Atqui substantiæ incorporeæ aliam non habent originem. Ergo. Propositio hujus argumenti indubitata veritatis est; sed Assumptio tantâ laborat infirmitate, quanto illa robore pollet; sive eam intelligas de reali origine harum substantiarum, sive de principiis cognoscendi earum existentiam. Quæcunque autem sit illarum origo, illa certè ad nos nihil attinget, nisi quatenus à nobis cognoscibilis est: cum itaque inquit, illas non aliam habere originem, quam à Phantasia nostra, tum intelligendus est affirmare, non dari aliud principium cognoscendi existentiam earum, quam quod falsò nobis imaginemur illas existere; quod falsissimum est. Non enim somnia sunt, nec metus melancholicorum & superstitiosorum, unde Philosophi & Christiani concluderunt illas existere; sed evidentia externorum objectorum sensibilium, id est, ordinaria Naturæ phænomena; in quibus tam profunda invenitur sapientia atque consilium, ut non potuerint non concludere, ordinem rerum in mundo à sublimiori esse principio, quàm à cæca motione & confusione materiæ, rerumque merè corporalium.*

Quibus addi potest illud, quod usitatè *apparitionum*

onum nomen habet; quæ tantum abest ut pura sint somnia & phantasiæ superstitiosorum, ut potius ab iis quoque agnoscantur, qui non possunt non haberi pro *Hyper-aibeis*: *Pomponatium* dico & *Cardanum*, imò *Vaninum* ipsum, qui tamen in tantum se devoverat Athëismo, ut præ zelo vere fatuo, pro causâ tam despicabili, mortem sustineret. Non nominabo jam operationes animæ, quæ, etiam sapientissimis omnium ætatum tam excellentis visæ sunt conditionis, ut non potuerint judicare, illas à principio tam vili oriri, quàm est nudum corpus sive materia. Declinare igitur hæc omnia, & dicere, non nisi repræsentationem somniorum & phantasiæ, occasionem dedisse toti mundo, ut concluderet dari substantias incorporeas, quid est aliud, quam lectorem suum pro merè stulto habere, & profiteri publicè sibi animum esse eidem imponendi.

III. Tertium argumentum est hoc: *Quicquid nobis apparet non minus dormientibus, quam vigilantibus, nihil est extra nos; Sed Spiritus, id est, substantiæ immateriales, apparent nobis tam dormientibus quam vigilantibus.* E. Hoc argumento infirmius vix est productum unquam, utraque enim *premissarum* falsa est. Si enim *propositio* vera esset, sol, luna, stellæ, nubes, fluvii, prata, viri, fæminæ, omnesque creaturæ viventes nihil essent extra nos, istæ enim omnes tam dormientibus nobis quam vigilantibus apparent. Sed incorporeæ substantiæ, non ap-

parent nobis æquè dormientibus ac vigilantibus: notio enim substantiæ incorporeæ tam subtilis tamque pura est, ut parum aut nihil fermè impressionis in phantasia relinquat, sed liberâ tantum virtute Rationis ad sui repræsentationem utatur, quæ rarò semet exercet in somno, nisi circa phantasmata facillima.

I V. Quarti argumenti vis hæc est: *Omnis substantia habet dimensiones; Spiritus non habet dimensiones. E.* Hic confidenter nego *Assumptum*. Characteristica enim corporis nota non est habere dimensiones, sed esse impenetrabile: & omnis quidem substantia habet dimensiones, i. e. longitudinem, latitudinem & profunditatem; sed non omnis substantia est impenetrabilis:

V. Excerptio quinta hæc continet argumenta: (i.) *Quod non habeamus ulla principia cognoscendens aliquod immateriale, nisi ea, quæ somnia vel specula nobis suppeditant.* 2. *Quod vox spiritus seu incorporeum implicet contradictionem, nec possit concipi naturali intellectu, nisi quod incurrit in sensus; unde sequatur, spiritus, qui in sensus non incurrit, non posse concipi, nec cognosci.*

Ad primum jam responsum est supra. Ad secundum respondeo, Spiritum non involvere contradictionem, si nihil hoc nomine intelligatur, nisi substantia extensa, cum activitate & indiscerpibilitate, exclusa impenetrabilitate: quod supra demonstratum.

Ad

Ad tertium respondeo, Spiritus realiter agere in ſenſus, dum agunt in materiam quæ ſenſus afficit; cùmque quædam harum operationum tales ſint, ut cum ratione non poſſint attribui ſoli materiæ, tum certè Ratio per ſenſus informata, concludit, exiſtere nobilius aliquod principium à materia diverſum. Quod autem nihil dicitur in intellectu eſſe, niſi quod ingreſſum eſt per ſenſus, id falſiſſimum eſt; intellectus enim intelligit quid ſit circulus, triangulum, conus, &c. quæ, accuratè loquendo, in ſenſum incurrare non poſſunt.

V I. Locus Sextus nil niſi verba continet, quæ nihil probant.

V II. Septimum argumentum jam refutatum eſt ſupra.

V III. Quæ ultimo loco dicuntur validiſſima videntur; argumenta autem ſunt iſta: (I.) *Quicquid reale eſt, illud in loco eſt: Spiritus non eſt in loco. E.* At verò ſi nihil intelligitur per *locum*, niſi ſpatium imaginarium, tum certè Spiritus & corpora poterunt eſſe in eodem ſpatio imaginario, atque ſic *Minor* eſt falſa. Si autem per *ſpatium* aut *locum* intelligitur, concava illa ſuperficies unius corporis, immediatè circumdans aliud corpus; ita ut de formali Loci eſſe dicatur, immediatè ambire corpoream ſuperficiem ejus ſubſtantiæ, quæ in loco eſſe dicitur; tum impoſſibile eſt ut Spiritus proprie loquendo poſſet dici in loco eſſe, at tum *propoſitio* falſa eſt. Cum itaque

que sic dupliciter accipi queat *locus*, certè distinctio inter *ubietatem definitivam* & *circumscriptionem* omninò erit legitima; nec unum idemque significabit uterque *terminus*. Si autem cum *Hobbessio* Notio *Loci* limitetur, & restringatur ad spatium imaginarium, tum distinctione illa planè non est opus.

( 2. ) Argumentatur ab ænigmate illo Scholasticorum, quod certè fateor nimis vergere ad absurditatem; *animam nempe totam esse in toto, & totam in qualibet parte corporis*. At certè immediatæ proprietates Spiritus etiam sine tricis istis ænigmaticis optimè possunt intelligi, si ille definiatur esse *Substantia penetrabilis & indiscerpibilis*, ut dictum. Nec etiam opus est ita intelligere hæc Scholasticorum verba ut sonant: Dicit enim posset illos his ipsis nihil aliud exprimere voluisse, quam quod voluit *Plato*, cum animam dicit consistere *ἐν μερισμῷ ἢ ἀμερίστῳ ἕστιάσῃ*: per quam divisibilem & indivisibilem substantiam tamen nihil aliud intellexit, quam essentiam intellectualiter divisibilem, sed realiter indiscerpibilem.

I X. Cum jam probata sit possibilitas existentiae Spiritus, jam porrò probanda est realis ejus & actualis in rerum natura existentia.

## CAPUT IX.

De Fundamentis probandi existentiam Substantiæ  
Immaterialis.

I. **T**ria sunt potissimum *fundamenta*, unde probari potest existentia substantiæ Spiritualis. *Primum* est consideratio excellentissimæ *Naturæ Divinæ*, quæ cum juxta veram ipsius ideam, sit essentia absolutè perfecta, non potest esse corporea, & consequenter incorporea erit. Cum itaque nulla sit contradictio in *notione* Spiritus in genere, nec in ulla specierum ejus (sub quibus & Deus comprehenditur) cumque in vera *notione Dei* contineatur & *ratio existentiae*, certè, si omninò aliquid existit, multo magis existet *Ille*. Nihil enim existit extra eum, de quo dari queat ratio, quomodo sit; nisi *Iste* dicatur illius esse *Autor*. Quamvis igitur Deus nec visibilis nec tangibilis sit, cum tamen vera ejus idea (innata nobis) intellectui nostro repræsentet necessitatem existentiae ejus; tum omninò, per axioma (è super.) 5. concludendum est, Ipsum existere.

II. Alterum *fundamentum* desumitur ab ordinariis Naturæ phænomenis, quorum potissimum est *Motio*. Inde mihi videtur demonstrari posse, quod aliquid existat in mundo, quod à materia sit diversum. Cum enim *Materia* sit naturæ unius & simpli-

pliciter homogeneæ nec distinguibilis per differentias específicas, necessum est illam ubique habere easdem proprietates essentielles; adeoque per se univèrsa vel ea absque motione, vel mobilis per se, idque juxta hanc vel illam motus mensuram; nulla enim excogitari potest ratio, cur una pars materiæ seipsam minus moveat quam alia; sique id revera fit, causa alia esse non potest, quam externum quoddam impedimentum.

III. Jam dico: Si materia per se motu penitus caret, necessum est, ut motum habeat, à substantia quadam alia, quæ necessariò erit immaterialis. Si verò mobilis est per se, juxta hanc vel illam mensuram, tum effectus iste, qui emanativus erit, nullibi potest non esse, ubicunque est materia, juxta ax. (è poster.) 7. nisi ab extra impediatur. Non datur autem ullum impedimentum, quin partès terrestres recuperent activitatem quam proximè æqualem æthereæ, aut potius eandem nunquam perdiderint. Si enim Planetæ illum saltem gradum motûs haberent, qui, distributâ æqualiter omni motione, (quantacunque in planetis, sole, stellis, & omni materiâ ætherea est) pro ratione quantitatis materiæ ipsis competeret; certè proportio istius gradus longè major esset, quam ille quem nunc habent. Unde quilibet Planeta, non posset non liquefieri in particulas penè æthæreas. Cum autem hoc non fiat, sequitur illos hunc motum non habere à se & per se, sed ab extra.



IV. Sed dicent Adversarii, materiæ partem unam mobilem esse per se, partem alteram per sese motu carere.

V. Respondeo, ( 1 ) Exceptionem hanc non convenire cum experientia; juxta hanc enim deprehenditur, quantum quidem sensu & ratione fieri potest, eandem ubivis esse materiam. Considerentur enim subtilissimæ particulæ materiæ, quæ deprehenduntur per hæc inferiora, invisibiles quidem ob subtilitatem, sed ob activitatem mirabiles; illas intelligo, quæ efficiunt vehementem illam agitationem quam in ventis sentimus: illæ suo tempore amittunt motum, redactæ ad consistentiam vaporis visibilis, mutanturque in nubes, nivem, pluviam, & fortè in glaciem ipsam; mox verò in aquam iterum liquefcunt, inde in vapores exhalant, mox vehementius agitatae iterum venti fiunt. Et ne putemus istam reciprocationem motus & quietis competere tantum particulis terrestribus; ipsos cælos ex eadem constare materia apparet, ex ejectionibus Cometarum in nostrum Vorticem, & perpetua productione macularum atque spumæ in superficie solari.

VI. Sed ( 2. ) ut magis urgeam, dico: Illam materiam quæ per se motum habet, imprimendo motum alii materiæ, vel amittere aliquid de motu proprio, vel eundem semper retinere integrum. Si prius; fieri potest ut omni suo motu privetur: atque ita illud cujus immediata natura est *moveri*, quiescet,  
in-

integra causâ motus semper manente, nempe sub-  
jecto ipso; quod contradictorium est per ax. 7. (è  
posterioribus.) Si posterius, non minor sequetur  
inconvenientia, quam necessum esse, ut totus mun-  
dus hoc tempore jam mutatus sit in purissimum  
æthera, imò in ipsam flammam; aut ad minimum  
nunc minetur extremam destructionem omnis con-  
sistentiæ corporeæ. Quod enim partes illæ  
materiæ (ex hypothesi) per se mobiles satis sint  
copiosæ, eventus testatur, cum jam totum fere mun-  
dum liquefecerint in solem, stellas ac æthera, nihil  
restante nisi Planetis atque Cometis, qui omnes si-  
mul sumpti vix tantam habent proportionem ad re-  
liquum materiæ, quam granum arenæ ad totum ter-  
ræ globum. Cum itaque tam validum principium,  
quam est motus, semper attribuat materiæ novum  
motum, non deperdita iterum motione, semel com-  
municata (juxta leges motus enim, nullum corpus  
plus perdit de motu, quam communicat aliis.) ne-  
cessariò sequitur, vel mundum jam dudum confla-  
grasse, vel quam proxime mutatum iri, nec unquam  
futuram iterum in eo ullam rerum formationem.

VII. Sed adhuc alia restant effugia, nempe (1.)  
quod materia omnis sit homogœnea, ejusque com-  
munis proprietas sit *esse indifferentem ad motum vel  
quietem*, ut non sit mirum aliquam ejus partem mo-  
veri, aliam autem quiescere, aut minus illâ moveri.  
Ad hæc respondeo: Indifferentiam hanc materiæ ad

mo-

motum vel quietem dupliciter intelligi posse: vel *privative*, id est, ut non habeat ullam realem vel activam propensionem ad quietem potius quam ad motum, aut vice versa; sed merè passiva sit, & susceptiva cujuscunque motus vel fixationis ab alio agente producti; idque ita, ut modificationem hanc exactè & perpetuò conservet, donec aliud iterum agens eam mutet; (quo sensu, concedo assertionem veram esse, sed tum nihil nobis officit, sed potius prodest, cum omninò inferat, dari incorpoream substantiam, à materia distinctam, à qua materia moveatur) vel indifferentia illa intelligenda est *positive*, id est, ut materia realem & activam propensionem habeat, non minus ad motionem quam quietem, ita ut moveat seipsam, & figat seipsam per immediatam essentiae naturam. Unde saltem duæ hæ absurditates sequuntur: primò, duas proprietates absolutè contrarias, immediatè collocari in uno simplici subjecto, quo nihil potest durius & absurdius videri facultatibus nostris Logicis. Secundò, motum & quietem, cum sint emanativi effectus simplicis hujus subjecti, simul competere materiae, adeò ut illa simul quiescat & moveatur, aut, si per *quietem* non intelligatur fixatio, sed nuda motus absentia, illam simul moveri & non moveri. Quicquid enim immediatè subjecto cuidam competit, illud non cessat existere, quamdiu non destructum est ipsum subjectum.

Nec

Nec juvat, si dicant, materiam necessario exerentem utramque hanc facultatem immediatam, se ipsam movere ad hanc vel illam mensuram, nec velocius. Hæc enim coïncidunt cum altero membro *dilemmatis* supra propositi sect. 3. hoc. cap. jamque refutata sunt.

Alterum effugium est, si ponatur partem materiæ esse per se mobilem, partem per se quiescentem, sensu positivo, seu seipsam figentem: quod est contra Sect. 6. h. c. ita enim occurrere possunt veloci illi & universali conflagrationi. Sed quod id falsum sit manifestò docet experientia. Si enim existerent tales quædam partes materiæ, seipsas figentes, illæ certè existerent in auro, plumbo, aliisque metallis similibus; nec tamen in illis sunt. Quicquid enim per se fixum est, illud immediatè reducitur ad quietem, quamprimum externa vis amovetur. Unde sequitur partes materiæ esse tales, quamvis abripiantur per aliam materiam, quamdiu cum illa cohærent, tamen sibi relictas, statim quiescere, cum immediatam fixationis causam in se ipsis habeant. Nec est quod aliquis diffidat mutationem fore tam subitanam, si consideret, quam subito externa vis materiam possit perducere ad motum. Sed globus auri vel plumbi motus, sive velociter, sive tardius, non subito sese reducit ad quietem. Unde apparet, alterum hoc effugium contradicere experientiæ, nosque adeo non ferire.

VIII. Extremum effugium quod quidem ab humano ingenio excogitari poteſt, eſt figmentum illud, certæ cujuſdam Divinæ materiæ, per mundum diſperſæ, quam quidam ſolum ejus Numen eſſe concipiunt, cujuſ motiones non neceſſarias, ſed voluntarias faciunt: atque hoc ipſo declinare volunt exorbitantem illam inconvenientiam ſect. 6. Sed hæc opinio nimis videtur abſurda atque prodigioſa, ob ſequentes rationes.

(1) Abſurdi videntur, quod putant iſtud eſſe Numen mundi, ſive Deum ipſum, cum plane non poſſit conſiſtere cum perſonalitate & unitate Deitatis, compoſitum eſſe ex infinito numero atomorum, interſperſarum materiæ mundanæ: hic enim non poteſt ulla ratione unus eſſe Deus; nec quælibet divina atomus, integra Deitas. Unde ſequeretur Deum plane nullum eſſe.

(2) Cum fatentur divinam hanc materiam *materiam* eſſe, eo ipſo fatentur impenetrabilitatem & juxta-portionem partium, diverſitatem item figuræ, & ſi nulli plane ſint pori, abſolutam ſoliditatem & duritiem. Unde manifeſtum eſt, rationes, quæ validæ ſunt contra ordinariam materiam, eamque ineptam eſſe probant, ad perceptionem & libertatem agendi, à natura quippe & idea ejus petitæ, valere etiam contra hanc materiam, cui attribuerunt epitheton *Livina*.

(3) Quod talis Materia divina, interſperſa ſub-

D

tili

tili materiæ mundanæ, liberè & cum cognitione agens, non detur, effectus quoque & experimenta planissimè declarant.

I X. Unde rectissimè concluditur, nullam materiam per se habere principium motus activum, (quamvis motum recipere queat) sed Deum, cum materiam creasset, superaddidisse illi impressum quendam motionis, tali quidem mensura & proportionem ad Universum, qualis adhuc eâdem quantitate permanet in mundo, quamvis partes materiæ variis modis sibi invicem occurrentes, eandem non semper observent proportionem. Nec magis necessarium est, ut Deus reiteret talem motus impressionem in materia creata, quàm necessarium est ut materiam perpetuò creet. Nec exinde quod eadem quantitas motus conservatur, magis deduci potest ulla ejus vel repetitio vel augmentatio, quàm ex conservatione materiæ ejusdem, materiæ novæ superadditio sequitur.

#### CAPUT X.

*Quod ex ordine & Naturâ rerum in Universo, probari queat existentia Essentiæ Spiritualis.*

I. **H**actenus de simplici tantùm motionis phænomeno egimus: jam quoque ordo & admirandus effectus hujus motionis considerandus est, indeque probanda Spiritûs existentia. Posito materiam posse movere seipsam, fierine posset, ut  
nu-

nuda materia, cum motu per se, ascendere possit ad tam sapientem omnium rerum in mundo conformationem? Poteritne cæcus quidam impetus tales producere effectus, tam accuratè tamque constanter, ut quanto quis est sapientior, tanto sit certior, nullam prudentiam vel addere vel tollere vel mutare quicquam posse in Naturæ operibus, ut illa meliora inde fiant? Quomodo illud igitur, quod ne sensum quidem habet, producere potest effectus acutissimæ Rationis, & perfectissimi intellectus?

II. Quicquid excipere possunt Adversarii, tale erit: Materiam esse idoneam ad sensum, & purissimam omnium subtilissimamque, purissimo quoque pollere & perfectissimo sensu, & consequenter etiam imaginatione, imo fortè Ratione & Intellectu. Cum enim sensus nihil sit aliud, ut quidam volunt, quàm *motio*, seu potius *reactio corporis alicuius pressi, per corpus quoddam aliud*, sequitur omnem materiam in mundo suo modo facultatem sensationis habere.

III. Hæc paululùm sunt consideranda. Qui motionem & sensationem realiter dicunt esse eadem, illos oportet fateri, cessante motu cessare sensationem (ut *Hobbesius* ingenuè fatetur in *Elementis Philosoph.* cap. 25.) item, quamcunque motionem seu reactionem esse novam sensationem, sicut quælibet reactionis cessatio, est & cessatio sensationis.

IV. Concedamus igitur agilibus illis materiæ particulis, quæ undiquaque huc illuc sursum deorsum ten-

dunt, facultatem sentiendi; ut videamus an omnia illarum capita simul consultantia, formare possint talem quandam fabricam, qualem in viventibus creaturis reperimus. Quæro enim, utrum quælibet harum particularum, quarum opera requiritur ad conformandum corpus animatum, totam habeat in se ideam operis, beneficio impressi cujusdam phantasmatis; an verò, ut singulæ singula habent officia, ita & singulæ singulas in se habeant ideæ partes? Si prius, quomodo, (cum juxta propriam hypothesein, nulla possit esse in materia cognitio, nec perceptio, nisi quæ oritur ex Reactione unius particulæ in aliam) quomodo, inquam, particula una pluresve, (nondum existente adhuc, in Natura, ullo animali) habere potest ideam impressam illius creaturæ, quæ formanda est? Aut, si una paucæve quædam particulæ sensum habent unius partis (ad quod magis videntur aptæ, cum partes sint simpliciores quam tota compages) & alia alterius; quomodo conferre possunt ideas? Qua lingua communicare invicem possunt consilia? Certè quod illæ mutuò sibi inferre queant, in tali negotio, magis impossibile est, quam, quod totidem cæci surdique à nativitate operas conjungere queant, ad extruendum munimentum quoddam, aut sculpendam statuam, quam nullus illorum noverit integram; singulis partes quidem minimas, non verò illarum ad se invicem & totum suam relationem, intelligentibus.



V. Præterea, cum sensus realiter idem sit ac motio corporea, necessum est illam mutari, ad singulas novæ motionis impressiones; adeò ut si particula aliqua vi sensûs feratur hâc linea; eadem, occurrente (eâdem viâ) quadam aliâ, aliam plane accipiat impressionem sensumque, oblita priorum, cursuque aliorum directo. Imò cum sensus sit Reactio, posito illam evadere istum casum, quàm primum tamen iterum remota erit, quæ eam impellebat, sensus necessariò cessabit, perfectâ succedente oblivione. Non ita enim sese res habet cum istis particulis, sicut cum tendiculâ, aut ballista tensâ, ut reactionem, (& consequenter etiam sensum) per certum aliquod temporis spatium retineant. Et tandem, concessio hoc, nihil tamen ad rem. Qualiscunque enim sit earum sensus, motio tamen necessaria est, cum merè sit corporea; unde fieri non potest, ut quod resultat ab ista motione, sit ab ulla specie cognitionis. Corporea enim motio casum tantum ducem sequitur, non directâ à nobiliori principio. Unde, sive materia sensu polleat, sive careat, certè quicquid inde fit, non potest non resultare ex incerta confusione, cæcisque collisionibus particularum, absque ulla proæresi, sive directione. Cumque è contrariò ordinaria Naturæ phænomena dirigantur juxta normam exquisitissimæ cujusdam sapientiæ, concludendum est, illa non fieri ob solum materiæ motum, sed à principio quodam immateriali.

VI. Quapropter ignorantia causarum secundarum non tam verè dicitur fundamentum Religionis ( ut vult *Hobbesius* ) quam impietatis & athëismi. Si enim paulò accuratiùs inquireremus in illarum naturas, fieri non posset, quin manifestò deprehenderemus, illas insufficientes esse talibus effectibus, quales in Natura spectamus.

## CAPUT XI.

*Vltimum Argumentum pro existentiâ Substantiarum Immaterialium, ab Apparitionibus deductum.*

I. **T**ertium argumentum pro confirmandâ conclusione nostra, desumitur ab extraordinariis illis effectibus, qui naturales dici nequeunt, quorumque causa non potest non esse agens quoddam liberum & spontaneum, quando nimirum clarum est, illos non oriri ab hominibus vel bestiis. Tales sunt locutiones, pulsationes, apertio portarum artissimè clausarum, subitanea luminis apparitio in medio aëre, transitio, evanescentia; imò figuræ hominum brutorumque variorum, post negotia evanescentium. Isti, similesque effectus extraordinarii alii ( quos omnes, generali nomine, *Apparitiones* vocare licet ) videntur mihi irrefragabile argumentum esse, quod Spiritus atque substantiæ incorporeæ existant in mundo.

II. Duo tamen sunt quæ hîc obstare queunt :  
( I ) firmissima persuasio, quod vera notio Spiritûs  
contineat contradictionem in terminis; unde narra-  
tio omnium similium historiarum pro falsa habetur,  
magisque probabile est contradicentibus, omnes,  
quibus talia apparuisse dicuntur, fuisse fatuos, quam  
revera extitisse aliquid, quod contradictionem invol-  
vit.

III. Verum id obstaculum jam, ut puto, remo-  
tum est, per ea quæ occurrunt cap. 2, 3, 4, 5, 6,  
7, 8.

IV. Secunda objectio, *apparitionum veritatem*  
quidem concedit, sed *illas dicit oriri ex influentiâ cor-  
porum cœlestium, in regionem hanc Generationis atque  
Corruptionis.*

V. Quique sic statuunt duorum sunt generum;  
quidam enim admodum conveniunt cum *Aristotele*  
& *Averroë*, quibus corpora cœlestia non sunt sub-  
stantiæ merè corporeæ, sed actuatæ intelligentiis,  
quæ sunt essentiæ separatæ & immateriales. Sed ista  
opinio nobis parum officit, cum substantias spiritua-  
les dari eo ipso concedat. Usus perversæ hujus hypo-  
theseos saltem ille est, ut illa mediante evertantur ar-  
gumenta omnia, ab apparitionibus producta ad pro-  
bandam animarum humanarum existentiam post  
mortem, aut ad probandam existentiam Dæmonum  
seu Geniorum, quibus tribuenda sit natura perma-  
nens & immortalis. Sed omnia facillimè refutari pos-

sent, modo digna essent quibus tempus impendatur.

*Sadduceorum* opinio paulò probabilior est, quorum *ἀπορροιαὶ* non sunt nisi effectus præsentia Dei, alterantis materiam in hanc vel illam apparitionem; quasi una tantùm esset in omnibus anima, quæ dicatur Deus; sed de istis infra.

V I. *Influentiarum* reliqui eandem tribuunt cœlis facultatem, non concessio tamen tam eminenti in illis principiò. Atque huc pertinet Philosophia *Epicuri*, quam ex parte tradit *Virgil.* Ecl. 6.

*Namque canebat, uti magnum per inane coacta  
Semina terrarumque, animæque marisque fuissent,  
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis  
Omnia & ipse tener mundi concreverit orbis.*

V II. Plenior atque plausibilior hujus opinionis sensus hodiè talis est: quod Materia & Motus sint principia omnium quæcunque existunt; quod ex motu atomi quidam sint subtiliores aliis, quibus etiam major agilitas atque activitas competat; porro motum unius corporis contra aliud ubique necessariò producere sensum, sensumque nihil esse nisi Reactionem partium Materiæ. Inde materiam quo sit subtilior, eo subtiliori pollere sensu. Subtilissimam autem omnium materiam esse illam, quæ constituit solem stellasque, quibus propterea tribuendus sit subtilissimus sensus. Postea; illud, cui competit perfectissimus sensus, habere perfectissimam imaginationem & memoriam, quia memoria & imaginatio

re-

realiter idem sint cum sensu, à quo non differant nisi modaliter: Porro: illud, cui competit perfectissima imaginatio, habere summam Rationem & Providentiam, cum Providentia & Ratio nihil sint, nisi exactior quædam sequela Phantasmatum, sensationis, seu imaginationis. Hinc concluditur solem atque stellas esse Entia omnium in mundo maximè intellectualia, quibus competat illa cognitio atque sapientia illudque consilium, quibus formentur atque gubernentur sublunaria omnia.

VIII. Ab his per varias impressiones atque imprægnationes, impletam esse universam terram vitali motione, unde innumeræ florum, herbarum arborumque species prodierint è terra. Ab his generatas esse varias Animantium species; cum terrestris materia tam facilè reduci queat in viventes variorum animalium formas, ( mediante valido illo imaginationis solaris, stellarisque impressu ) quàm Embryo in utero matris notas accipiat, mediante valida phantasia mulieris gravidæ. Cumque cœlestes illæ virtutes, mediantibus impressionibus imaginationis suæ, formare possint è terrestri materia creaturas viventes, longè facilius fieri posse, ut transmutent aërem vaporibus plenum, in similes transfigurationes. Hæc jam paululum sunt examinanda.

## CAPUT XII.

*De potestate corporum cœlestium in formandis effectibus, qui Apparitiones dicuntur.*

I. **L**UCE M esse rem excellentissimam, splendoremque stellarum dignum qui aspiciatur, corpusque solare tam plenum Lumine, ut ne quidem diutius oculis queat usurpari, hæc omnibus merito nota sunt, & in confesso: At verò totidem esse in cœlo oculos qui vigilent pro terra, totidemque spectatores curatoresque humanorum negotiorum (ut etiam *Paracelsus* voluit) id certè verum esse nullo modo potest.

II. Demonstrari enim potest, solem, stellasque (posito illis competere cognitionem aliarum rerum) nullam tamen penitus habere scientiam quoad nos, aut nostra negotia. Quod enim *stella* de nobis nihil scire queant, evidentissimum est; (si namque orbis terræ magnus tantum punctum est, respectu distantiae suæ à quavis stella fixa; [ id est, si angulus, quem ponere oportet à stella ad Orbem Magnum, cuique subtenditur Diameter orbis magni, ad sensum non est angulus, sed pura linea; ) quam parva igitur terra ipsa erit? Quamque planè non poterit videri ab ulla stellarum, cum ejus diameter plus quam millies atque centies minor sit diametro orbis magni? Unde manifestum est, plane impossibile, ut stellæ,  
etiam-

etiamsi visum habeant, videre queant terræ globum; (multò minus ejusdem habitatores) quomodo igitur spectatores curatoresque erunt negotiorum terrenorum.

III. Si tamen hæc demonstratio (quamvis irrefragabiliter vera) difficilior videatur alicui; ille consideret, quod stellæ, quæ sunt corpora lucida, vel centies terrâ majora (si sint primæ magnit.) tam parvæ tamen appareant; unde colligi potest terræ globum, qui opacus est; vel planè invisibilem esse stellis, vel saltem tam parva quantitate in illarum sensum incurrere, ut impossibile sit illas videre posse distinctas regiones, multò minus urbes, domosque & habitatores.

IV. Exclusæ igitur hac ratione sunt stellæ omnes à cura terrenorum, sublatique è medio tot senatores cœlestes, qui de nobis nihil nosse queunt. Imò si possent, impossibile tamen foret ut communicarent consilia sua, cum supremo illo mundi Monarcha *SOL E*; quippe cui non minus sunt invisibiles, quam nobis interdium. Nos enim nihil impedit hoc casu quam lumen ejus, quod lumen minus omne obfuscat, & hæc quidem ratione, quod motus, quem radii ejus efficiunt in organo, tam violentus sit, ut lenior illa vibratio luminis, à stellis profecta, hunc superare nequeat; nec ullam habere possit erga eum proportionem: qualem proportionem ergò habebit respectu ipsius corporis solaris, cujus materia violentissimum habet motum? V.

V. Nihil igitur restat, nisi sol solus, cui competere queat ulla rerum nostrarum cognitio. Quam tamen & iste sit inidoneus ad talia, facile demonstrari potest.

VI. Concessum enim ab omnibus est puram Materiam non habere ideas connatas in se talium rerum quales in mundo videmus; ex reactione enim oriri dicitur sensus ac perceptio: unde necessum est motum sensu esse priorem.

VII. Jam, juxta computum *Astronomorum*, Sol terrâ major est ad minimum centies quinquagies: & tamen tam parvus nobis apparet. Quam parva igitur erit quantitas globi terreni respectu sensus solaris? Certè, posito illum videri, tantum tamen abest ut possint videri homines, ut ne quidem urbes atque regiones incurrere queant in oculos tam remotos. Necessum enim est, ut terra longè appareat minor, quam Luna nobis, quia sol minor nobis apparet quam luna; imò facile demonstrari posset, discum terrenum appariturum soli sexagies minorem, quam nobis apparet discus lunaris, juxta computum *Landsbergii*.

Consideremus igitur quàm parum discernere queamus in Lunâ, & concludamus quam parum foret, quod cogniturus sit igneus ille cælestis hujus Cyclopius oculus, in objecto longe minori sibi, Terrâ: præsertim cum vigor motusque ejus tam sit validus atque vehementis, & nos è contra motu vehementiorum radiorum planè destituamur cum Lunam spectamus, in tenebris  
quip-



quippe constituti. Interdium enim vix videri potest Luna.

Præterea Atmosphæra nostra tam densum circa nos efficit operimentum, quoad istam distantiam, ut nihil posset percipi quam nebula candicans, omnia involvens, sensumque sub specie nubis lucidæ afficiens; Unde perspicuum est, fieri non posse, ut sol nos videat, nedum ut Episcopus curatorque actionum nostrarum sit.

VIII. Dicat aliquis Solem, quamvis videre nequeat terram, habere tamen posse sensum atque perceptionem in sese, quæ ascendat ad amplissimam intellectus, providentiæ, virtutisque spheram. Respondeo instantiam nullo niti fundamento. Et si daretur talis sensus solaris, ille tamen de nulla re alia esset, quam de lumine atque igne suo, & id quidem tam velociter, tamque inconstanter, ob vehementissimum istius materiæ motum, ut si homo aliquis in tali statu esset, ille necessario pro dementissimo habendus esset.

IX. Et posito Solem formare posse animal quoddam, quomodo quæso deduceret illud in istam Generationis regionem? Terra enim tam longè distat, ipsique est invisibilis; cumque principium talis formationis non esset nisi motus; imaginatio ista solaris agens in terram, non posset esse nisi impressio simplex rectilinea, qualis nec sufficit ad producenda tam varia organa, nec continere posset spectra ista sive apparitiones in aëre; sicut nullam figuram retinere potest fumus caminorum vel Tabaci.

X. Instantia à *nævis maternis in fœtu*, planè aliena est, ob nimiam utrinque dissimilitudinem. Cum enim (1.) mater explicitam habeat ideam fœtus, singularumque eius partium, corpora cœlestia, ideâ partium terræ penitus carent.

XI. Cum (2.) nœvi claram habeat ideam mater; ideâ tamen animalis conformationis carent sydera.

XII. (3.) Impressio fœtus simplex est nec accurata; quæ autem à syderibus proficisci dicitur, accuratissima omnium, id quod aliam longe causam subesse arguit.

XIII. Probatum ergo est hætenus, necessariò concedendam esse existentiam substantiarum incorporearum.

*FINIS LIBRI PRIMI.*

LIBER

LIBER SECUNDUS,

De

ANIMA HUMANA  
IN STATU UNIONIS.

---

CAP. I.

*Axiomata quædam ad demonstrandam existentiam  
ANIMÆ in homine necessaria.*

I. **P**ostquam probatum est hæcenus, nullam esse contradictionem in notione Spiritûs, eumque non tantum existere posse, sed actu & realiter existere; jam pergendum est ulterius, probandumque immaterialem ejusmodi substantiam dari in homine, quæ à facultate quam habere dicitur, informandi corpus, communiter dicitur ANIMA. Hanc veritatem primò confirmabimus generaliter adstruendo, tales facultates, quales in nobis ipsis deprehendimus, nullo modo competere posse materiæ, latius consideratæ: absque ulla particulari organizatione. Deinde specialius considerabimus *Corpus humanum, singulasque*  
ejus

*ejus partes, quæ quomodocunque possunt dici cause earum operationum, quas in nobis ipsis reperimus. Id quod ut rectius procedat præmittenda sunt sequentia axiomata.*

AXIOMA I.

Motio sive Reactio unius partis materiæ in aliam, aut saltem debita continuatio ejusdem, realiter unum est, idemque cum Sensu & Perceptione, si ullus sensus competit Materiæ.

II. Hoc axioma, ut clarum satis est in se, (posito nihil dari in mundo nisi corpus) ita confirmatur suffragio potentissimi Adversarii nostri *Hobbessii*, in *Elementis Philosophiæ* c: 25. ar: 2.

AX. II.

Quousque pertingit continuata hæc Reactio, eousque pertingit duratque Sensus atque perceptio, nec ulterius.

AX. III.

Diversitas Sensus & Perceptionis necessario oritur à diversitate magnitudinis, figuræ, situs, vigoris atque directione motus in particulis Materiæ.

AX. IV.

Materiæ nulla tribui potest perceptio, nisi quæ impressa sit per motum corporeum.

AX. V.

Distincta impressio, facta ab extensiori paulò, quantitate materiæ variegatæ, non potest recipi ab unico puncto materiæ.

AX.

AX. VI.

Quæcunque impressio, sive pars impressionis non recipitur à perfecta parvitate, seu reali puncto materiæ, illa plane non percipitur.

AX. VII.

Qualiscunque Sensus seu Motio nunc est in Materia, illa necessario est impressio ab alia quadam particula materiæ; & necessario continuatur, donec hæc vel illa materiæ particula eam excutiat.

CAPUT II.

*Quod Materia non sit apta ad Sensum aliasque operationes.*

I. **J**am antequam consideremus fabricam & organizationem corporis, videbimus, an tales operationes, quales in nobis occurrunt, competant materiæ generalius spectatæ.

Quod itaque materia ex sua natura inepta sit ad sensum, ex axiom. 1 & 2. clarum est. Si enim motio & sensus idem sunt, necessario sequitur, quod ubi est motio, speciatim aliquandiu durans, ibi & sensus sit atque perceptio. Cujus tamen contrarium occurrit in Catocho, inque cadaveribus, ubi reactio quidem, nullus tamen sensus est.

Breviter, si materiæ sensus competit, tum data reactione, omnibus idem est sensus, etiam inanimatis.

II. Quod autem materia inidonea sit ad tales operationes producendas, quales in homine sunt, ex sequentibus patebit. Unum enim in nobis idemque subjectum & audit & videt & gustat, omniumque, objectorum varietatem percipit. Si itaque sensus nihil est, nisi impressus motionis ab objecto externo, necessum est illam materiæ partem, quæ dicenda est commune Sensorium, recipere omnem hanc diversitatem impulsionum objectivarum.

Idemque pariter sedes erit Imaginationis, Memoria, & Rationis, & principium motûs spontanei, sedesque τῆς αὐτεξουσίας seu liberi arbitrii. Quæ hypothesis inextricabilibus laborat difficultatibus.

III. Primò enim non potest concipi ulla materiæ portio, nisi sit vel dura vel mollis. Quicquid autem durum est, ab omnibus excluditur ab aptitudine cognoscendi. Quod molle est vel opacum, vel pellucidum, vel lucidum erit. Si opacum, videre non poterit, quia exterior superficies impedit interiora. Si pellucidum, ad modum aquæ vel aëris, tum quidem admittet intimius illam motionem, illasque particulas, quæ sunt vehicula sensus, distinctionemque colorum, atque ita pariter & sonum. Sed cum hæc materia sit heterogenea, adeò ut sonum formet aër, colores lucemque rotundæ illæ particulæ *Cartesiana*, tum certè perceptio horum objectorum diversimode collocabitur: & tamen in nobis unum quid tantum est, quod percipit utrumque objectum. Tandem

dem si lucidum erit, tum idem recurret inconveni-  
ens, quod ab opacitate oriretur: vehementior enim  
motus ejus excluderet leniorem contactum externa-  
rum impressionum; si autem tam tenue fingas luci-  
dum hoc, ut aliquatenus fiat diaphanum, idem in-  
conveniens habebis quod à pelluciditate.

Imò omne liquidum tantam in se habet particu-  
larum varietatem, ut si totum afficiatur una impres-  
sione extrinsecus, partes certè statim afficerentur  
variis modis, objectumque nunquam appareret  
homogeneum.

I V. Et quænam materiæ species poterit esse se-  
des imaginationis & memoriæ? Si fluida, imagines  
objectorum subito evanescent, imo juxta naturam  
fluidorum variis modis pervertentur. Si dura, mox  
ad quietem reducetur, sicut tremor nolæ statim ces-  
sat; nobis autem memoria est rerum diu præterita-  
rum. Si viscida, ineptissima erit ad recipiendum con-  
tinuandumque motum.

V. Porro materia quoque non potest esse sedes  
Notionum secundarum, quippe quæ non oriuntur  
ab impressione quadam externa. Et tandem libe-  
rum arbitrium in materia, & à materia nullo modo  
poterit provenire; ab illa enim quicquid est, purè  
necessarium est. Unde *Hobbesius* absurdè nimis om-  
nibus actionibus nostris necessitatem attribuit.

## CAPUT III.

*De corporis humani variis partibus, deque communi Sensorio.*

I. **E**X dictis patet materia generatim considerata, non posse attribui illas, quæ enumeratæ sunt operationes. Jam speciatim probandum, easdem nec competere posse materia quatenus organizata est. Prius tamen proponendæ sunt variæ opiniones, de sede sensus communis, illæque mox refutandæ.

II. Prima opinio sedem sensus communis dicit esse totum corpus: 2. Orificium Stomachi. 3. Cor. 4. Cerebrum. 5. Membranas. 6. Septum lucidum. 7. Particulam aliquam minimam & solidissimam in corpore. 8. Conarion. 9. Concursum nervorum circa quartum cerebri ventriculum. 10. Spiritus quarti ventriculi.

III. Primam opinionem falsam esse inde patet, quod (posito, nos nihil esse nisi materiam) si dicamus totum corpus esse unum commune sensorium, percipiens omnia objecta, necessum sit ut motio impressa oculo vel auri, transmittatur in omnes partes corporis. Sensus enim realiter idem est ac communicatio motus, lib. 2. ax. 1. Cumque varietas sensus oriatur à modificatione motus, quæ aliunde non potest oriri, quàm à diversitate temperamentipartium corporearum, lib. 2. ax. 3. necessum est oculum



lum aliter affici per motum luminis, quam alias partes, ad quas transmittitur motus iste. Unde idem objectum in singulis partibus videretur diversimodè modificatum simul, quod est contra experientiam. Idem quoque objectum in diversis locis simul appareret, propter tot contorsiones & curvaturas, quæ in ista transmissione locum haberent, & quasi totidem essent refractiones atque reflexiones.

IV. Quod orificium Stomachi non possit esse sedes *sensus communis*, inde apparet: quia id quod est *commune sentiens*, non tantum percipit omnia objecta, sed & facultatem habet movendi corpus. Jam verò in orificio stomachi nulla est organizatio, nec ulla dari potest ratio mechanica, ob quam eidem attribui queat facultas motrix. Unde non opus est pluribus de hoc differere.

V. Idem dici potest de *corde*. Quis enim dicere potest, dari talem connexionem cordis, cum reliquis partibus mechanicam, ut possit, data hac vel illa perceptione, vel minimum movere digitum?

Præterea, *cor penitus occupatum videtur in perficienda systole sua atque diastole, unde tam diversimoda per vices illius oritur situatio, ut, si hic statueretur primum sensorium, impossibile esset ut quicquam nobis appareret fixum firmumque in eodem loco.*

VI. Quod nec cerebrum sit idoneum ad rem propositam, ex *visciditate illius* manifestum est. Unde tantum abest ut *cerebro tribui queat ista qualitas om-*

*nia percipiendi; ut Phyci potius omnem omnino sensum ipsi adimant.*

VII. *Membrana* si dicantur *sedes communis sensus*, id intelligendum erit vel de *omnibus*, vel de *quibusdam*, vel de *una aliqua*. Non de *omnibus*, quia ex diversa illarum situatione diversimode perciperetur objectum: nec de *paucioribus* vel *una*, quia nulla dari potest ratio mechanica, ob quam inde deduciqueat motio partium.

VIII. Ob quam causam nec *septum lucidum* aptum est.

IX. *Particula Regii solidissima* si admittatur, eadem occurret difficultas.

X. *Conarion Cartesii* non potest percipere integrum objectum; nec aptum est movere corpus nostrum tam violenter, ut sæpe fieri videmus: nec *memoria* per sola vestigia spirituum, in cerebro explicare potest absque confusione.

XI. *Principium nervorum debita caret organizatione*, & *materia per se ad sensum plane inepta est*, ut supra dictum. Præterea nec motus corporis inde derivari potest.

XII. Spiritus animales huic officio quidem sufficerent primo intuitu, sed etiam circa hos difficultates occurrunt insuperabiles; omnia enim superiora argumenta & hîc militant. Præterea cum variæ istæ spirituum particulae tantum contiguæ sint, quomodo fieri poterit, ut unius objecti tam multi perceptores,  
non

non diversimodè illud percipiant ; atque sic unitatem sensationis evertant? Et deinde qua ratione tam confusum *Percipiens* commodum erit principium, dirigendi motum in musculis? quomodo singuli spiritus cogitabunt, consultabunt, communicabunt decreta sua? quomodo concipient notiones Logicas & Mathematicas? quomodo in ista fluiditate memoriam formabunt?

XIII. Si igitur *nulla illarum operationum competere potest materia, sive absolute sive in corporibus considerata*, necessum est dari in nobis Animam quandam, seu substantiam incorpoream, à corpore & materia plane distinctam. Cumque nihilominus necesse sit dari aliquod in corpore commune sensorium, etiam existente anima: non potest ullum dari commodius, quam spiritus animales in quarto cerebri ventriculo contenti, in quorum medio commodissimè statuitur illa pars animæ, quam *Centrum perceptionis* dicimus.

CAPUT IV.

*De sede ANIMÆ in corpore humano.*

I. **C**ùm evictum hæctenus sit, dari animam in corpore nostro, porro non immeritò quaeritur, ubi illa resideat, & quomodo operationes suas exerceat? *Regius* illam ad *Conarion* alligat, quod statuit esse primum sensorium; & ita consequenter

etiam, posito *sedem sensus communis esse in quarto ventriculo*, eidem alliganda videretur anima; si omnes in corpore nostro operationes reliquæ, juxta *Cartesium*, fieri possent modo quodam purè mechanico; absque præsentia animæ. Sed mihi, accuratius rem omnem consideranti, hæc opinio nullo modo probabilis videtur.

I I. Primò enim formatio corporis ostendit, *animam ipsam esse illius architectum, inque ea residere facultatem plasticam. Talem enim fabricam ex concursu atomorum fieri, absque omni ratione asseritur: cum nihil in illa penitus occurrat, quod non exquisitissimæ alicujus sapientiæ sit argumentum, quæ cum casu nulla ratione consistere potest. Deus quoque immediata causa illius formationis non potest constitui, quia tot aliàs non existerent monstra; quam enim perversitatem & irregularitatem materiæ non posset corrigere divina omnipotentia? Porro nec plastica animæ mundanæ facultas, sola dici potest harum fabricarum formatrix, quippe quæ intimius aliquod requirere videntur principium. Mea igitur hæc est opinio, quod anima, quæ spiritus est, adeoque contrahibilis & dilatabilis; incipiat minimo primum ambitu in organizatione materiæ, debite preparata, (beneficio spiritus universi) deinde verò cum augmento corporis paulatim sese extendat, donec illud ad ultimum augmentationis pervenerit terminum; unde sequitur illam seipsam dilatare per univer-*

*sum corpus, perque omnia illius membra diffundi.*

III. Id quod porro inde probatur, quod dolor percipiatur in omnibus membris corporis. Impossibile enim est tantum dolorem, quantum vel pungens acicula excitat, modo quodam purè mechanico communicari posse Centro perceptionis. Sive enim immediatum sensus instrumentum sit medulla Nervorum, ut *Cartesius* existimat; sive spiritus, quod verius est; ridiculum fane est, animam in cerebro locatam sentire posse dolorem tam exquisitum: punctio enim nec spiritibus, nec medullæ nervorum communicatur illo loco ubi facta est. Unde necesse est animam illi parti adesse præsentem, quæ dolorem sentit, adeoque totum corpus replebit.

IV. Tandem, nisi ipsa essentia animæ à communi sensorio pertingat usque ad oculum, quantæ orientur difficultates circa distinctam repræsentationem objectorum visibilium? quas hîc omnes proponere, instituti ratio non permittit.

V. Si autem hæc sententia obtineat, tum facilè explicari poterit natura *sensationis, aliarumque operationum animæ.* Sensatio enim fit appulsu motus, qui ab objecto procedit ad organum, ibique receptus; deductusque virtute præsentis animæ, spirituumque (ad commune sensorium usque continuatorum) imaginem sive impressionem objecti inibi fideliter exhibet.

VI. *Imaginatio potissimum fit in primaria animæ sede, scilicet purioribus quarti ventriculi in cerebro*

*Spiritibus.* Imaginationem autem intelligo liberam: qualis locum habet in inventionibus Poëticis, Disquisitionibus Philosophicis, aliisque actibus intellectualibus. Jejunium enim, Aër purior, vinumque moderatum & similia, cogitationes nostras liberiores reddunt & puriores. Et huc quoque Ratio pertinet, seu Ratiocinatio.

VII. Memoria fieri non potest beneficio certarum in cerebro notarum, ob multitudinem rerum cognitarum, & parvitatem cerebri. Hinc statuo istam in eo potissimum consistere, quod anima acquisiverit majorem promptitudinem cogitandi circa hoc vel illud phantasma, ejusque circumstantias, quæ in ipsa excitantur data aliquali occasione. Atque illa promptitudo acquiritur, vel crebra illius phantasmatis repræsentatione, vel vividiori quadam ejusdem impressione, ortâ vel à novitate, vel ab excellentia, vel à pravitate rei, aut similibus; vel tandem attentione voluntaria, quâ ideam quam profundissime intromittit ad sensum suum internum. Hæcque promptitudo successu temporis diminuitur, imò penitus amittitur. Antequam tamen id fiat, ex iterata repræsentatione subjecti, necessario emergit sensus ille relativus, quem appellamus memoriam, eò quod ex promptitudine ista pronitas quædam resultet, redeundi ad eundem conceptum. Oblivio autem oritur ex desuetudine cogitandi hoc, ei connexa; vel ab intemperie spirituum, quibus anima utitur in omnibus functionibus.

VIII. Tandem & Motus spontaneus considerandus est, qui absque dubio fit ex continuatione spirituum, à sede sensus communis ad musculos jubente & dirigente voluntate. Communis machina hujus motus sunt partes musculorum fibrosæ; quas anima subtili illo spirituum animalium liquore humectat, atque sic tumefacit, contrahitque, ut tempestate pluviâ fidibus chelyos accidit. Inque hoc potissimum robur membrorum nostrorum consistit.

IX. Sciendum tamen, dari in anima aliquam speciem *Heterogeneitatis*, juxta quam non eadem ubique pollet virtute. Centrum enim perceptionis in quarto cerebri ventriculo residet, ad quem nisi fideliter deferantur motus sensiferi, nullam certè cognitionem objecti habere possumus. Unde hæc pars habenda est pro nobilissima, & inde reliquarum partium causâ. Atque propterea (sicut *Synesius* Deum appellat *ῥιζὼν ῥιζῶν*, quod ab eo omnia dependeant) non incommodè dici posset *RADIX anima*. Et hic conceptus eo minus erit incommodus si consideremus, quomodo à summâ vitâ, id est, Deitate id resultet, quod nec vitam, nec sensum ullum habet, stupida nempe materia. Quare per optimam admitti poterit analogiam, quod pretiosa illa animæ pars, in qua residet *Perceptio, Sensus, & Intellectus*, producat de se essentialem quandam emanationem, quæ omni penitus sensu & perceptione careat; quæ, si lubet

bet, nomen habere poterit, Exteriorum animæ Ramorum, seu Radiorum animæ, si nobilior illa pars *Centrum* dicatur, quæ meritò & *Oculus animæ* dici potest, extra quem, quicquid est animæ, tenebricosum est; inque hoc anima, velut alius quidam *Cyclops*, mundo similis est illi in quo vivimus, cujus unus oculus conspicuus est omnibus quæ luce indigent. Magis philosophicè illa pars dici poterit *Perceptiva*, & hæc *Plastica*, nimirum desumptis nominibus à duabus illis notissimis animæ facultatibus, quas omnes *Philosophi* fermè in anima agnoscunt; *Perceptione* nempe & *Organizatione*.

## CAPUT V.

*In quo objectiones quædam diluuntur.*

I. **H**ic objici posset, Argumenta nostra mera esse Sophismata, quia inde sequatur, *etiam Brutorum animas esse substantias incorporeas, à corporibus distinctas, adeoque immortales*: quod absurdum. Sed dicendum, illas animas non magis esse immortales, quam stupidam materiam, quæ nunquam perit; illasque extra corpora terrestria non plus habere sensus, quam istam. Omnia enim sunt talia, qualia illa *primus Creator* esse voluit.

II. Sed reponunt: *Quod animæ Brutorum, si subsistant post mortem, sensu & activitate destitutæ, necessario debeant rursus ingredi corpora.* Ridiculum enim



enim esset asserere, animas illas, in mundo revera existentes, adque capacitatem rursus vivendi nihilo indigentes nisi tantum materiâ debitè præparatâ, semper negligi, nec unquam ad informanda corpora reassumi, sed earum loco quotidie novas creari. Si verò in corpora redeant, evidens esse illas etiam præexistere: id quod si de animabus Brutorum verum sit, certè negari non posse de animabus hominum; quod tamen omnium absurdorum esset absurdissimum, cum singulorum id abunde refutet memoria: si enim fuissent antea animæ, certè necessum fore, ut antea actæ vitæ quadantenus saltem reminiscerentur.

Adde quod nullo modo concipi queat, quomodo animæ illæ præexistentes, in materiam intrare queant.

III. *Respondeo*, nullam in ista hypothese latere absurditatem, si tantum præjudicia educationis, aliæque inferiorum facultatum suggestiones, quibus nullum in vero *Rationis* iudicio competit suffragium, ex animo removeantur. *Dico* igitur 1. *Hypothesin de præexistentia Animæ magis consentaneam esse sanæ Rationi, quàm ullam de origine animæ aliam.* 2. *Illam à doctissimis omnium ætatum Philosophis receptam fuisse, adeò ut vix aliquis eorum, qui ex mero Naturæ & Rationis lumine statuerunt Animæ immortalitatem, inveniatur, qui non simul asseruerit illius præexistentiam.* 3. *Memoriam non esse*

judicem aptum, quem in ista controversia quis appellare possit, & 4. Traductionem & Creationem æque esse intricatas, & minus posse concipi atque Præexistentiam. Hæc aliquanto prolixius sunt deducenda.

III. Prima conclusionum mearum vera esse videbitur, si aliquid dictum fuerit de opinionibus contrariis, quæ duæ sunt potissimum: una eorum, qui *Animam per traducem propagari* dicunt, altera eorum, qui *Animam statuunt creari, data quacunque occasione*. In priori opinione manifesta occurrit contradictio: *Anima enim cum spiritus sit, essentiæ est indivisibilis, id est, indiscerpibilis*. Altera sententia pronunciat quædam, quæ indigna sunt majestate divina (dum *Deum* constituit *Efficientem primarium, Actoremque propriissimè & specialissimè loquendo, in manifestis criminibus scortationis, adulterii, incestus, imò Sodomie, perficientem scilicet impuros illos congressus, in creatione novarum animarum*) imò injuriâ afficit ipsam quoque animam, quam creatam à Deo in omnigena puritate, in carcerem detrudi ait impurissimum, cujus pravitate non pauca ita corumpantur, ut tandem necessariò adjudicentur extremæ illi calamitati, quæ omnes manet infideles. Cum ergo duæ istæ opiniones tam absurdæ sint, quid poterit esse *Præexistentiâ animarum* probabilius?

IV. Id quod tamen adhuc manifestius erit, si ista opinio in seipsa consideretur. Non magis enim mirum

rum

rum est, singulorum qui nunc vivunt animas, extitisse à mundo condito, quàm singulorum materiam individuantem tamdiu jam extitisse (quam certè oportet subjectam fuisse multis alterationum & modificationum myriadibus, antequam perveniret ad statum corporis humani): quod certè negabit nemo *Philosophorum*. Secundò ipsa quoque attributa Dei ad probabilitatem hujus sententiæ non parum faciunt: Si enim bonum est animas hominum esse, certè quo citius erunt, eo melius erit: cum autem certum sit Sapientiam & Bonitatem Dei semper facere, quod optimum est; annon probabile est illam & hoc in casu fecisse quod est melius? Nec enim impedit quicquam, quo minus illæ potuissent vivere antequam venirent in corpora, æquè ac postquam è corporibus egressæ sint; quod fatentur & adversarii. *Præexistentia animarum igitur necessario resultat è Sapientia & Bonitate Dei*, qui non minus facit quod optimum est, quam illud intelligit, aliàs enim sapientia ejus Bonitatem excederet, imò Bonitas ejus minor esset, bonitate quâvis humana: boni viri enim quantum in ipsis est, nullam unquam prætermittunt benè faciendi occasionem, præsertim si nihil ipsos impediat: impedimenta autem de Deo hîc ne concipi quidem possunt. Tertiò ex hac opinione facillimè solvi possunt difficultates illæ, quæ occurrunt circa negotia hominum: sic enim statuitur, Animas humanas aliquando extitisse in alio quopiam statu,

in quo variis modis atque gradibus deliquerint contra Creatorem suum: atque inde juxta justissimam illam *Nemesein*, (quæ intertextata est, constitutioni totius Universi, earundemque animarum naturæ) necesse esse ut subeant varias calamitates, aliosque atque alios fortunæ insultus, ceu pœnam inflictam, ob varias apostasiæ suæ enormitates. Ista clavi non tantum commode recludi potest mysterium illud, quare aliqui homines tam averſi sint ab omni Religione & Virtute, cæterumque stupidi planè, & quasi invincibili quadam desidia corrupti circa talia, ab ipsis incunabulis, adque omnia vitia ferè incorrigibiliter propensi: sed & quare integræ Nationes tot sæculis quasi sepultæ jacuerint ferissima barbarie, multæque adhuc hodie in eadem detineantur? Quæ miranda rerum Scena, necessariò admodum obscuraret Divinæ Providentiæ vias, nisi iisdem aliquod ex nostra hypothesi accederet lumen. Atque hinc manifestum est, opinionem hanc de *Præexistentiâ animarum*, non levibus inniti argumentis. Cumque Rationi tam commode satisfiat, nec ulla facultatum nostrarum contradicere queat, certè indubitatò concludendum est rem ita se habere, juxta axioma 5.

V. *Secunda conclusio* agit de testimonio Antiquitatis; quod sane quammaximum reperimus, quocunque vertamus oculos: in *Ægypto* enim, antiquissima occultiorum Scientiarum nutrice, assentientem habemus *Trismegistum*, ut ex fragmentis  
ejus

ejus apparet: nec non *Gymnosophistas*; cum quibus faciunt *Brachmanes Indorum*, & *Persarum Chaldaorumque Magi*, ut manifestum est ex oraculis *Magicis, Chaldaicis*, in quæ commentati sunt *Pletho & Psellus*. His adde abstrusam *Indæorum Philosophiam*, quam *Cabbalam* dicunt, cujus Autor *Moses Philosophorum* quotquot unquam fuerunt maximus: & si specialius agendum est, addatur *Zoroaster, Pythagoras, Epicharmus, Empedocles, Cebeus, Euripides, Plato, Euclides, Philo, Virgilius, Marcus Cicero, Plotinus, Iamblichus, Proclus, Boëthius, Psellus*, aliique plurimi: sique Patres addere licet Philosophis, habebimus *Originem & Synesium*, & ex recentioribus *Marsilium Ficinum*; itemque *Iohannem Fernesium*, qui sibi adjungit *Hippocratem & Galenum*, vid. ipse *De abditis rerum causis* lib: 2. cap: 4. Accedit *Cardanus de Animorum immortal.* pag: 235 --- 239. & *Pomponatius*, qui tamen immortalitati animarum parum favet. Atque ne quid desit his annumerabimus & *Aristotelem*, qui in tract. de *Animâ* lib. 1: cap: 3 cum loquitur de necessariâ qualitate corporis ab anima actuandi, in illos invenitur qui materiam hanc tam negligenter tractant, quasi possibile sit, ut juxta fabulas *Pythagoricas*, quælibet anima quodlibet corpus ingrediatur. Cui-libet enim animali, ut propria competat species, ita peculiarem esse formam. Qui verò aliter docent, παραπλήσιον λέγουσι, inquit, ὡς περ ἔστι φάιν τῶν περτο-

νικῶ εἰς αὐλὴς ἐνδύεσθαι· δεῖ γὰρ τέχνῳ χεῖσθαι τοῖς ὀργάνοις, τῶ δὲ ψυχῇ τὸ σῶμα, idem dicunt, ac si quis affirmet artem fabrilem intrare in fistulam, oportet enim singulas artes suis uti instrumentis, & animam suo corpore. Ubi certè (quod observat *Cardanus* de animor. immortal. pag. 237) *Aristoteles non carpit opinionem de metempsychosi*, (quæ involvit præ-existentiam) sed quod anima hominis possit intrare corpus brutale, & vice versâ. Hæc est illa absurditas quam *Aristoteles* rejicit, reliqua opinione tacitè approbata. De *Generat. Animal.* tamen lib. 3. cap. 11. aliquantò clarius loquitur: *Generantur*, inquit, *in terra, ejusque humiditate, planta & viventia; quia in terra est humor, in humore spiritus, & in toto Universo animalis calor, adeò, ut τρέπον πνεῦμα πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη, modo quodam omnia sint animarum plena, ut Sennertus interpretatur.* Ubi vox ψυχῆ idem ipsi denotat, quod postea ψυχῆ ἀρχῆ, id nempe principium quod animam dicimus, juxta cujus nobilitatem, animalia quoque magis vel minus dicit esse nobilia; quæ assertio humanas æquè concernit animas, ac brutales. Nec eludi potest textus iste ex eo, quod dicat ψυχῆς non ψυχῶν: inde enim dicendus esset statuisse *Aristoteles*, unam tantum in mundo esse animam, quod absque injuria ipsi attribui nequit. Sed & tertium locum addemus ex eodem de *Gen. anim.* lib. 2. cap. 3. ubi speciatim tractat quæstionem, de præ-existentia animarum sensiti-

varum & rationalium *ἡ αἰσθητικὴ ψυχὴ, ἢ αἰσθητικὴ*  
*κῆς, utrum nimirum utraque dicenda sit ἡ πρώτη ἀρχή,*  
 an verò *rationalis* tantum: atque ita concludit: *Λεί-*  
*πεται ὅ τὸν νοῦν μόνον εἰσέρχεται, ἢ δεῖον εἶναι μόν-*  
*ον ἔδῃ γὰρ αὐτῆ τῆ ἐνεργείᾳ κοινῶναι σωματικῆ ἐνεργείᾳ,*  
 reliquum est, *rationalem animam solam intrare ab*  
*extra, ut quæ sola divina sit, cumque cujus operatione*  
*corporis operatio nihil habeat commune.* Quibus verbis  
 opinionem Magistri sui *Platonis* expressè sequitur.

V I. *Conclusio* tertia fuit, *oblivionem prioris status*  
*nihil evincere contra Præexistentiam animarum.* Quod  
 verum esse apparebit, si consideremus illa, quæ vel  
 plane tollunt, vel mirum in modum diminuunt me-  
 moriam nostram in ista vita: quorum omnium hic  
 inveniemus concursum; inque majori gradu & à po-  
 tioribus causis, quam ulli unquam viventi evenire  
 potuerunt. Quæ enim memoriam nostram hîc pla-  
 nè tollunt, potissimum ista sunt, 1. Si deest opportu-  
 nitas reminiscendi aliquid, sicut illis contingit, qui  
 surgentes jurarent, nulla sibi illa nocte obvenisse in-  
 somnia, postmodum tamen, occasione interdiu data,  
 longam sæpe seriem somniorum in memoriam sibi  
 revocant. 2. Si desuescimus animum applicare ad  
 quædam, atque sic quæ magno labore in scholis con-  
 scripsimus, adulti plerumque pro nostris non agnos-  
 ceremus, nisi adscripta nos convincerent nostra no-  
 min. 3. Si insignis quædam constitutionis atque  
 temperamenti in corpore nostro fiat mutatio, sive

ab externo quodam accidente, sive à morbo violentiori, sive à senio. Atque hæc principia oblivionis omnia eminentius inveniuntur in descensu animæ in carcerem hunc terrestrem, quam unquam fieri potest, quamdiu eundem inhabitat. Procul omni dubio enim longè major est differentia, inter illam rerum scenam, quam videt anima extra corpus, & quam in corpore videt, quàm inter ea quæ videt homo dormiens, & vigilans: & perpetua præsentis vitæ negotia, insignem in ipsam introducunt desuetudinem reminiscendi priorum.

Præterea, descensus earum, ut probabile est, plerumque accidit, dum sunt in statu *Silentii & Inactivitatis*, (ut ita dicam) in quo forte multæ animarum myriades per multa secula jacuerunt, ut defensores hujus opinionis sentiunt, ob innumerabiles aërearum vitæ periodorum expirationes, strictioresque leges præparandæ terrestri materiæ. Tandem descensus in terrenum hoc corpus, major est & incommodior mutatio, ad delendasque priores in memoria species multò aptior, quam ullum accidens, ullusve morbus alius; quo tamen urgente, sæpe multis in hac vita Memoria omnis perit, unde *Lucretius* de natura rerum lib. 6.

*Atque etiam quosdam cepisse obliuia rerum  
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.*



VII. Tandem quartò, de modo descendendi in corpora, aliquid dicendum est. Id quod facile quidem declinare possem, si tantum evincerem hypothese-  
sin nostram tam facilem esse intellectu, & faciliorem quam reliquas duas. *Quomodo enim recens creata anima infundatur à D E O, nemo certè intelligere potest; nec planior est altera opinio de traduce, ubi certe nemo explicabit, qua ratione uterque parens ad productionem novæ animæ concurrat: si enim decisionem aliquis statuet, tum animæ parentum statuendæ erunt discerpibiles, quod est contra naturam spiritûs; nec concipi poterit, quomodo ex duabus illis particulis decis, una componi queat infantis animæ: si absque decisione, parentum animæ nihilominus dicetur causa animæ infantis, profectò quid aliud erit hoc, quàm vera creatio? quam absurdum est tribuere creaturæ.*

VIII. Nostra autem de *Præexistentiâ* hypothesis, longè facilius intelligi poterit, si duo tantum prius fuerint explicata, nempe *differentia vehiculorum animæ: & deinde ratio, ob quam illa cum istis uniatur. Platonici tria potissimum animæ tribuunt Vehicula, Ætherium nempe, Aërium, & Terre-  
stre: quorum singula gradus iterum habent puritatis & impuritatis, qui tamen propterea non constituunt novas species.*

IX. *Vehiculi* vox & notio, quamvis in schola potissimum *Platonis* in usu fuerit, non tamen penitus neglecta est ab *Aristotele*, ut apparet in tract. de

*Gener. animal. lib. 2. cap. 3. ubi suppresso nomine manifesto de re ipsa loquitur: apertè enim affirmat, singulas animas participes esse corporis cujusdam distincti à terrestri hoc corpore organizato, divinioreque cujusdam naturæ, quam quæ elementis ita dictis competat; talemque esse differentiam diviniore hujus corporis, qualis sit differentia ipsarum animarum, quoad majorem minoremque nobilitatem: quod non est aliud quam τὸ ἐν τῷ αὐερματι ἐν τῷ αἰέρον τὸ καλεῖμενον θερμὸν, --- φύσις ἀνάλογος ἔσα τῷ τῷ αἰέρων σοι χείρ. Atque hoc est illud vehiculum, ut Aristoteles asserere videtur, quod actuat anima à corpore separata, quasi illa semper sit aut in terreno hoc corpore, aut in alio quodam ætherio. Quia tamen non probabile videtur, Naturam admittere talem saltum, rectius videtur juxta Platonicos, asseri posse animam aequè in aëreo vivere posse vehiculo, ac in aethereo, paucosque ad eam accedere felicitatem, ut relicto terrestri vehiculo, immediate cæleste adipiscantur & aethereum. Cælestis enim ille currus necessario triumphantes nos evehit ad summum illum prosperitatis gradum, ad quem homo quisquam unquam aspirare potest. Si igitur non aliud quippiam daretur intermedium, omnes certè homines indifferenter in cælum ascenderent. Igitur per justam quandam Nemefin, animæ hominum non planè heroicè virtuosorum, detinentur in ambitu caliginosi hujus aëris, id quod & ipsa Ratio, & unanimes Platoniceorum consensus adstruunt. His ita explicatis iidem*

dem Philosophi differentiam quoque durationis adji-  
ciunt, ita ut *terrestri vehiculo animas detineri dicant*  
*quàm brevissimè, aëreo multis sapè vehiculis, æthe-*  
*reo verò in pèrpetuum.*

X. Jam ut propius ad rem ipsam accedamus, ali-  
quid addendum est de *Unione animæ cum corpore ge-*  
*nerato*, sive cum quacunque corporis specie, quo  
anima tenetur captiva, ut se sponte liberare neque-  
at. Quæritur enim, *Quanam possit esse causa hujus*  
*cohesionis, cum vera animæ essentia tam facilè pene-*  
*trare possit materiam?* Respondetur, unionem istam  
Animæ cum materia, non fieri modo quodam me-  
chanico, quo communiter duo vel plura corpora si-  
bi adhærere videmus. Sed hîc inveniri Congruita-  
tem aliquam, quam commodissimè Vitalem dicere  
licet, primariò quidem in Anima, tanquam nobilif-  
simo vivendi principio, secundum quid tamen etiam  
in materia, in qua nihil est aliud, quam talis illius  
modificatio, qualem requirit Plastica animæ pars,  
ad commodam sui operationem. Vitalis autem di-  
citur etiam ratione materiæ, non quasi quædam in  
materia esset vita, quæ cum vita animæ aliquam ha-  
beret sympathiam; sed quia per illam materia con-  
gruum fit subjectum, in quo resideat anima, fun-  
ctionesque vitales exerceat. Potest enim aliquid  
quod vitam non habet, movere vitale quid: sicut in  
Muscis concentibus & cupediis apparet: in quibus  
certè nihil est nisi motus quidam corporeus, & ta-

men functiones nostræ vitales iisdem afficiuntur. Sicut ergo videmus, partem animæ *Perceptivam* tam vitaliter affici rebus quibusdam inanimatis, ita probabile est, & rationi consentaneum, & *Plasticam animæ partem se habere, adeo ut harmonia quædam sit inter materiam ita vel aliter modificatam, & plasticam istam partem, quæ omni perceptione destituta est.* Inque hoc tantum consistit id, quod vitalem congruitatem dicimus in materia præparata, sive organizanda demum, sive jam ad formam perfecti animalis reducta.

X I. Illa verò *Vitalis Congruitas*, quæ in anima est, in parte nempe illius *Plastica*, analoga est illi voluptati, quæ sensu percipitur, seu potius potentia percipiendi voluptatem aliquam, cum sensus acceptis quibusdam motibus, sive extra sive in corpore ortis afficitur, idque sive volente, sive nolente mente. Dantur enim omninò certi quidam attactus, quæ sensuum perceptionem oblectant, sive illos iudicium nostrum approbet, sive non. Sicut ergo hoc se habet erga partem animæ *perceptivam*, ita alia congruitas materiæ se habet erga *Plasticam*. Et propterea id, quod Animam cum hac vel illa materia combinat atque conjungit, est voluptas aliqua irresistibilis & imperceptibilis, ut ita dicam, orta ex congruitate materiæ, cum *Plastica animæ facultate*: quibus positis unio ad minimum tam necessaria est, quam necesse est hominem edere & bibere, positis fame &

siti  
3

siti, cibisque congruis. Sicut autem vel satietas in stomacho, vel ingratus quidam cibi sapor, congruitatem istam tollere potest; adeo ut actio ista cesset cum voluptate sua: ita concipi potest Anima deserre aërium suum vehiculum, post certam seculorum periodum, ut *Platonici* quoque fieri putant, absque ulla præcipitatione exinde violenta.

XII. His positis facilè intelligi poterit motus descendendi in corpora. Eadem enim vincula, quæ illam inibi alligabant, huc eam trahere queunt. *Ubi enim cadaver, ibi aquila.* Non quasi opus habeat facultate sua Perceptiva in suo descensu, qua certè vultures & aquilæ utuntur ad prædam allecti; sed cum existit in Atmosphæra, ut ita dicam, Generationis, Plastica ejus pars contingi putanda, est & moveri odore quodam invisibili (sicut aves rapaces escam suam longè distantem olfaciendo percipiunt) unde fataliter feratur, cessante in ipsa omni Perceptione ad illam materiam, quæ tam commodum ipsi offert receptaculum, ad exercendam inibi facultatem suam efformativam. In ista enim sphæra Magica, ut ita loquar, cui competit Facultas quasi adjuratoria, adigendi animas in corpora terrestria, virtus quo propior est centro, eò est validior; unde anima quiescere nequit, donec illapsa sit in illam materiam, quæ ad alliciendam illam, emiserat subtilissimi illius odoris atomos quasi, aut radios.

Hinc facilè concipi potest, animas brutorum pari-

ter, quamvis extra terrena corpora *facultatem* suam *perceptivam* exercere nequeant, absque errore tamen invenire posse viam ad generationem redeundi, quoties nimirum materiam offendunt debite præparatam. Atque ista est una Hypothesis illorum nempe, quibus arridet opinio de magnis istis emissariarum sphaëris. Sed datur tamen & alia, quæ nititur Potentia & activitate Spiritus naturæ, qui tam idoneus est ad transmittendas animas, quam ad movendam materiam. Sed de hoc infra. Atquæ hæc de anima *in relatione ad corpus suum* dicta sufficiant.

## CAPUT VI.

*De separatione ANIMÆ à corpore.*

I. **H**ic quæritur *quare per mortem Anima è corpore suo discedat, & aliò se conferat.* Notandumque id impediri non posse, per generalem quandam Naturæ legem, quam *Regius* *Philos. Natur. lib. 5. cap. 1.* appellat *legem immutabilitatis*; cum Unio animæ cum corpore certas requirat materiæ conditiones, ut rectè *Aristoteles* asseruit, quibus cessantibus, Anima corpori suo diutius implicari nequit.

II. Alii anxie disquirunt, *quomodo anima exire queat è corpore, cui tanquam firmissimo castello tam arcte inclusa est?* Sed isti nec naturam animæ, cum tenui-

tenuitate vehiculi sui, nec anatomiam corporis intelligunt. Animæ enim nec Spiritus est impedimento, ne ferrum quidem est, nec marmor, nedum caro; quia omnis materia Spiritui æque penetrabilis est. Præterea Astrale ejus vehiculum tam tenue est, ut facillime penetrare queat subtilissimos corporis poros, æquè ac lumen penetrat vitrum, aut fulmen vaginam gladii. Et tandem, si respiciamus primariam illam facultatis plasticæ sedem Cor, siue Perceptivæ habitaculum cerebrum, utrinque patent Animæ ad exitum viæ. Nam cum homo moritur, anima constringere potest se ipsam, cumque paucis spiritibus residuis (qui fortassis inserviunt ipsi inchoanti novum vehiculum) atque ita secedere, vel in cor, unde facilis est per pulmones & os egressus, vel in cerebrum, è quo tot patent portæ, ut non opus sit illas recensere.

III. Ut tamen hæc omnia rectius intelligantur, reassumenda erit consideratio illius in plastica Animæ parte facultatis, quam vitalem vocamus congruitatem. Illam, juxta vehiculorum numerum, triplicem statuemus, terrestrem, aëream & atheriam seu cælestem. Istasque congruitates vitales revera dari, alias in alias spirituum speciebus extra dubium est. Terrestrem enim in brutorum hominumque animabus existere certum est, & ita aëria in illa entium specie datur, quam Veteres nomine Dæmonum indigitant, & cælettis tandem in illis spiritibus inuenitur, qui

Anti-

Antiquis proprie Dii vocantur. Quod autem omnes in uno quodam subjecto etiam inveniuntur, in anima nempe hominis, probandum. Id quod non erit difficile, si consideremus, quam magna sit differentia illarum facultatum, quas certò scimus competere parti ejusdem *Perceptivæ*, in quæ datâ occasione una emergit post aliàm, dormiente nimirum una, exorientibus reliquis. Certè enim major non potest esse differentia, inter *summam imamque Vitalium illarum Plasticæ partis congruitatum*, quam inter *summam imamque Perceptivæ facultates*. Quædam enim *perceptiones* eadem nobis sunt cum *brutis*, aliæ paulo inferiores sunt *Angelicis*; cur igitur non resideat tanta capacitatum latitudo in *Plastica*, ut illa omnes *congruitates vitales* in sese complectatur, quarum beneficio æque vivide uniri queat cum cælesti & aërio, ac cum terreno corpore? Certe, cum natura nostra tam sit libera atque varia, reprehenda videretur *Providentia*, si eidem denegasset facultatem in singulis illis vivendi vehiculis, eo quod divina illa *Nemesis*, quæ supponitur regere totum *universum*, deficere videatur, absque tali constitutione.

IV. Supposita igitur triplici hac *Vitalis congruitatis* possibilitate in *anima hominis*, non difficile erit intellectu, qua ratione illa hoc corpus deserere queat. Cum enim in temperamento corporeo aptitudo regnandi animam mortis tempore pereat, tum *Vitalis*



lis congruitas infima, in anima objectum suum amittit, & consequenter etiam operationem suam: Et propterea, sicut in *Perceptiva parte cessatio unius cogitationis, est productio alterius, ita cessatio unius Vitalis congruitatis, est excitatio alterius, si adsit Objectum, sive Subjectum commodum, ad illam movendam; quale certè hic est partim in corpore, partim communiter extra illud.* Datur enim vitalis quædam *Aura*, quæ pervadit inferiorem hunc mundum totum, quæque connectitur cum omnium corporum vita, tanquam illius *primarium principium.* Unde *Theon* in Scholiis suis in *Aratum, Hemistichium* illud

---- αὐτὸ γὰρ ἢ γένος ἐσμὲν,

explicatione quadam secundaria de Aëre interpretatur quem appellat τὸν Δία seu τὸν Ζῆνα, τὸν φυσικόν, in quo, sensu quodam inferiori, dici queamus vivere, moveri & esse: absque aëre enim nec pisces, nec aves, nec bestia subsistere possunt. Atque ille est qui omnibus viventibus suppeditat materiam, vitæ verè intimam, alendo & refocillando Spiritus ipsorum animales. Cessante igitur vitali congruitate infima, & aërea illa capacitate in actum excitata, quæ tam commodam ubique invenit materiam, in quam agere queat, certè anima non poterit non deserere corpus; sive ex proæresi, & propria imaginatione atque voluntate, sive (posita deterrima conditione) per naturalem aliquam attractionem seu transvectionem;

posito ipsam in statu & confusione illa, quæ mortem comitatur, omnimodo esse insensibilem. Cum enim externus aër salubrior sit & magis vitalis, quam ille quem corruptæ jam de mortui corporis cavernæ continent, & inter utrumque tamen sua intercedat continuatio. Hinc tam facilè intelligi potest, quomodo illa (excitato semel principio unitivo aëris in plastica parte) naturaliter elabi queat è corpore in aërem liberum, quam quomodo ignis ascendat & lapis descendat.

V. Cumque semel recepta est in vastum illum vitæ Oceanum, & sensibilem spiritum mundi, balsamo vitali undique plenissimum, mirum non est quod statim recipiat usum facultatis *Perceptivæ*: quippe quæ quasi momento regenerata sit, ad naturalem vitæ motusque potentiam, per felicem illum materiæ debitæ præparatæ, cum parte sua Plastica concursum: si tantillum unquam ob terrores mortis cessavit *Perceptiva*.

VI. Et hæctenus dictum est tantum, quod *Anima à corpore separata vivere possit*: quod autem *de facto* extra corpus vivat *actu secundo*, dupliciter probari potest; testimoniis nempe historicis, & argumentis. Historiæ exempla tradunt vel revera mortuorum, vel ecstaticorum, seu potius talium, quibus ille ecstaseos gradus tribuitur, quem *ἀπαρρησία* vocant, de quibus prius dicemus.

VII. Ad hos enim pertinet illud *Plinii*, *Hist. Nat. l. 7. c. 52.* quod recitat de *Hermotimo Clazomenio*,

menio, cujus anima sæpe è corpore discedere est solita, & huc illuc profecta, ita ut post ejus reditum ecstaticus iste varias narraret historias veras, gestas interea tum duraret separatio. Idem *Maximus Tyrius* & *Herodotus* Histor. l. 4. de *Aristæo Proconnesio* referunt. *Marsilius Ficinus* Theol. Platon. l. 13. c. 2. huc refert illam *Agellii* narrationem è Noct. Att. l. 15. c. 18. de *Cornelio* quodam sacerdote, qui in ecstasi viderit pugnam *Cæsaris* cum *Pompejo* in *Thessalia*, cum tamen *Patavii* esset. Exemplum *Wieri*, De præstig. Dæmon. l. 1. c. 14. de mustela ex ore militis cujusdam dormientis prodire solita, si verum esset, procul dubio historiam de columba *Aristæi* apud *Plin. H.N. l. 7. cap. 52.* minus redderet suspectam. Plurimæ relationes aliæ afferri possent, quas tamen non nisi risu excipiunt illi, quibus persuasum est, animam à corpore esse inseparabilem, aut separationem nullam posse fieri, nisi in morte.

VIII. *Bodino* (Magor. Dæmonom. l. 2. cap. 5.) quicquid videatur aliis, res tanquam vera arridet: quippe quæ tam insigne suppeditet argumentum pro immortalitate animæ: hancque veritatem evidentem esse putat, ex innumeris veneficarum ecstaticarum exemplis; quarum ecstases cum illo fatemur non esse naturales, sed quod ascendant ad perfectam ἀπαρροσίαν, seu deportationem animæ extra corpus, ex vivido illo sensu conventuum, saltationum & adorationum diabolicarum, mutuaque recordatione  
 perso-

personarum congregatarum eodem loco ac tempore, infallibiliter demonstrari nequit. Conformitas tamen confessionum de talibus conventiculis, rem aliquatenus reddit probabilem.

IX. Quod tamen realis hæc animæ separatio contingere queat, in quibusdam ecstasibus facile admittetur, si consideremus animam sua natura à corpore esse separabilem, ceu substantiam realiter ab eo distinctam; eidemque omnia corpora æquè esse penetrabilia, ceu destitutæ corporea illa proprietate, quam ἀντιτοπίαν dicunt, & tandem; illam corpori suo non tam communicare calorem & motum, quam organizationem: adeò ut si corpus bene sit organizatum, inque sanguine debitum vigeat temperamentum, cor & pulsus quadantenus moveri queant, cerebrumque & inde totum corpus spiritibus repleri, etiamsi absens inde sit anima. Quo in casu ( præterquam quod spiritus naturæ excludi nequeat ) homo perfectè esset machina *Cartesiana*, absque sensu, etiamsi videatur tam verè vivere, quam ullum animatum dormiens. Unde apparet, si anima, non obstante alio quoquam, posset deferere corpus, id absque illius detrimento, per certum aliquod temporis spatium, omninò posse fieri, nimirum, quamdiu homini absque cibo vivere licet. Quod notandum contra illos, qui sentiunt, animâ semel à corpore soluta, certissimam mortem necessariò consequi.

X. Omnis autem difficultas in eo consistit, quomodo

modo anima possit à corpore liberari, si illud adhuc idoneum sit eam detinere. Id quod certè difficile est omnino, nec fieri ullo modo potest, nisi supernaturaliter. Sed illud facilè intelligi potest, vitalem illam idoneitatem corporis mutari posse, sive per morbum quendam naturalem, sive per artem.

Cur enim non certæ quædam formationes in corpore ita alterare possent sanguinem & spiritus, ut facultates *Plasticæ partis* operari desinant, sicut quandoque *perceptivæ facultates* cessant, in *cataplexi*, *apoplexiæ* & similibus? Unde egressus iste animæ è corpore, in somno vel *ecstasi* fieri posset, ob rationem certi cujusdam morbi, qualis etiam est *nyctobatarum* seu *noctambulorum*. Si igitur accidat, ut talis quædam intemperies existat in corpore, quæ ad tempus vitalem congruitatem insigniter mutaret, inque hoc *paroxysmo* alter ille *Noctambulorum* morbus simul invaderet hominem, ita ut imaginatio ipsum stimulet huc illucve prodire, certè tum *anima* ejus, in dissoluto hoc statu *non inepta esset, ad deserendum corpus*, inque aërem expatiandi, ad modum cæterorum hujus Elementi habitatorum; & tum subiret partes *spirituum separatorum*, talesque functiones *perceptivæ facultatis* exerceret, quales illi peragunt, qui penitus à *terrena materia* sunt liberati. Hæc unica tamen hîc est differentia, quod *anima*, cessante suprà dictâ *intemperie*, per naturalem illam *magiam*, de quâ dictum aliquoties, certò *reducatur*

*in corpus, cumque ipso uniatur, ut antea. Nemo tamen dicendus est posse pro lubitu è corpore exire, ad imperium voluntatis, sicut nemo in somno pro lubitu ambulare potest: hæc enim potentia in infima vita animæ profundius depressa est, quàm ut vel voluntatis libertas, vel libera imaginatio, ad eam pertingere queat.*

X I. *Passio* tamen facilius hoc in casu aliquid videtur posse, quàm reliquæ *duæ facultates*, cum sedes ejus originaliter sit *cor*, *primarium inferiorum facultatum munimentum*, unde ob propinquitatem facilius agere potest in *prima vitalis unionis principia*. *Effectus* istius tanti fuerunt sæpe, ut statim excluderint *animam è corpore*, ut è variis exemplis perspicuum est. *Sophocles* enim & *Dionysius Tyrannus Siculorum*, accepto nuncio victoriæ cujusdam Tragicæ, subito moriebantur, sicut *Polycrita* nobilis in *Naxo* insula fæmina, & *Philippides* Poëta, & *Diogoras Phodius* præ gaudio: aliis de timore & ira exemplis prætermittis. Si igitur *Passio* tantopere mutare potest sanguinis, spirituumque harmoniam, ut animam è corpore solvat mortaliter; cur non quandoque operari queat citra istum gradum, ut talem saltem introducat intemperiem, è qua corpus possit reconvalescere, animamque recuperare per mundanam illam *sympathiam*.

XII. Inter omnes tamen *Passiones*, excessus *Desiderii* commodissimus videtur, ad efficiendam innoxiam illam & momentaneam animæ è corpore ablegatio-

gationem; quia maximo ejus impetui tam intimè affilit *imaginatio abeundi ad locum desideratum*, ut factâ solutione *non-libali*, vis *phantasia* abducere queat ad locum illum *animam*; quæ reducta in corpore vivat, ut antea. Hoc illud est, si quicquam, quod morituros fecit visitare amicos suos, ante discessum lethalem, etiam aliquot miliaribus distantes, cum corpora tamen eorum è lectulo non fuerint dimota, inde quoque sani visitarunt ægrotos amicos. Hæc enim *ecstasis* realiter competit animæ, non sanguini, nec spiritibus: vide *HELMONT.* de *Magnet. vulnerum cur.* § 74, 75, 76. Inque hoc principium resolvenda est historia *Martini Del-Rio*, de fæmina quâdam, quæ *ex impetu imaginationis, & Desiderii videndi patrem suum, in ecstasin incidit*; & postquam sibi restituta esset, confidenter affirmavit se eum vidisse, narratis de sua cum ipso conversatione, circumstantiis infallibilibus.

XIII. Quod *Cardanus* aliique incidere potuerint in *ecstases* pro lubitu, *virtute imaginationis & desiderii* in illam incidendi, notatum & creditum est à *Scriptoribus gravissimis*; an verò id præstare potuerint per modum completæ *aphæresias*, neminem scio, qui affirmare queat. Id tamen videtur certò affirmari posse, quod *Ars aliquid in nos moliri queat, non consentientes*. An verò unctioes maleficarum talem habeant effectum, & an non *impuri illi spiritus*, cum quibus conversantur, immediatè præsentibus

bus ipsarum ad tempus suppressere queant, vel alterare *vitam* illarum *congruitatem*, ad illum utque gradum, qui dissolvere queat animæ vincula, exactiori relictum sit inquisitioni. Mihi sufficit ostendisse, non difficilem intellectu esse, *possibilitatem* hujusmodi *separationis*.

XVI. Haecenus historia *Ecstaticorum*; jam de *apparitione animarum post mortem*. Illa fit vel per *Somnia*, vel per *visionem manifestam*. Inter exempla *Somniorum*, occurrit id, quod contingit *Avenzuari Albumaroni Medico Arabi*, (vid. *Mars. Fic. Theolog. Plat. lib. 16: cap. 5.*) cui dormienti amicus nuper defunctus ostendit medicinam, curandis oculis ejus præstantissimam. Huic simile est, quod *Diodorus* (*Bibl. hist. lib. 1. pag. 15.*) tradit de *Iside Regina Egypti*, quam refert non minus mortuam, dormientibus *Aegyptiis* remedia communicasse, quàm viva fecerat. Huc etiam pertinet memoranda illa *Posidonii Stoici* historia, de duobus *Arcadibus*, quorum alter à caupone primo occidendus, mox occisus apparuit alteri dormienti, primò auxilium, deinde vindictam rogans, quam & obtinuit. Et similia *homicidarum* per *somnia detectorum* exempla infinita occurrunt. Addam tamen & exemplum *Gratitudinis*, de *Simonide* nempe, cui cum cadaver forte inventum terræ mandasset, anima defuncti hujus apparuit in somnis, monens, ne hoc tempore mari fideret, fore enim, ut naufragii periculum sub-



subeant omnes, qui tum nave veherentur; quod verum fuisse, res ipsa docuit.

XV. Sed & de *Visionibus* adducenda sunt pauca quædam, quo pertinet historia *Plini* de *Spectro*, quod *Athenodoro* Philosopho *Athenis* apparuit: unde non improbabile est, quamplurimas domus, quæ à spiritibus infestantur, talia pati ab animabus defunctorum, qui vel occisi, vel alio quodam modo injuriâ affecti sunt, aut thesauros quosdam occultos detegere conantur, &c. Hinc homines eandem ob causam infestantur, ac domus; sicut *Nero* post occisam matrem; *Otto* per *Galbæ* spiritum, & alii aliter. Huc referenda sunt exempla, cum amicorum, Parentum, Conjugum animæ optimè quibusdam consulunt; aut Amatores, post mortem, amicis suis occurrunt, in solitudinibus præsertim, idque tam interdiu, quàm noctu. Sed & aliæ dantur animarum occurfiones, magis fortuitæ, quarum ratio dari nequit, nisi fortè illa, quod istis major aliqua tribuenda esse videatur facilius apparendi potentia. Ut fortè contingere posset in campis, ubi nuper habitata sunt prælia, inque *cæmeteriis* publicis. Quamvis alii qui ridiculè exponant tales *apparitiones*, dicentes, earum causam non esse aliam, quàm *odores* seu *vapores corporum*, quos phantasia humana spectantium fingat staturam, formamque habere viventium: ut *Cardanus* & *Varinus* sentiunt: sed hæc vana sunt. Dicendumque potius crassitiem aëris, aliamque ma-

terix spissitudinem, qualis prodire potest è viventium corporibus, aut cadaveribus recenter mortuorum, facilitare posse tales apparitiones, ita ut hoc modo invitentur, quasi Animæ ad lusum quendam vexationesque hominum, quamvis fortè certum aliquem finem non habeant alium, quàm ut satisficiant voluntati suæ, sive ad ludicra, sive ad damna pronæ. Atque huc referri possunt exempla *spectrorum Islandicorum*, apud *Cardan. de subtilit. lib. 18.* & *Lappicorum* vid. *Magica de Spectris*, ap. *Henning. Gross. lib. 1. sect. 140.* item *Historia Cuntii Pentschiani*, & *Sutoris* cujusdam *Vratislaviensis*, ejusque ancillæ facta 1591. quas narrat *Martinus Weinrichius*, Medicus & Philosophus *Silesius*, in prætatione ad *Tract. Pici Mirand. de ludificatione Daemon.* nec non alia quædam de *Stephano Hubnero*, *Trautenaviensi Bohemo* gesta 1567. vid. *Magica de Spectris*, *Henn. Gross. lib. 1. sect. 184.* Si tamen unquam apparuit privatus quidam, in certum aliquem finem, certè nobilius exemplum vix occurreret, quàm eximii illius *Platonici Marsilii Ficini*, qui, cum inter ipsum & *Michaëlem Mercatum* intercederet tale pactum, ut qui prior moreretur, alterum de veritate *immortalitatis* admoneret, post mortem amico acclamavit, *O Michaël, Michaël, vera sunt illa*, ut *Baronius* refert. Unde *Mercatus*, misso *Florentiam* nuncio, *Marsilium* defunctum esse cognovit.

XVI. Ista exempla omnia non possunt non efficere  
ali-

aliquid, apud eos, quos nulla prægravant præjudicia; illi autem, quorum animos obscuravit *Atheismi nebula*, potius cum *Cardano* (de subtil. lib. 18.) dictitant: *Orbis magnus est, & ævum longum, & error ac timor multum in hominibus possunt.* Sunt & alii, qui hæc non admittunt, qui nempe à pueris in ista præconcepta sunt opinione, quod *anima à corpore soluta, subito vel in Cælum empyreum, vel in centrum terræ abripiatur*: & his quicquid datur apparitionum, vel *Angelis* vel *Dæmonibus* ascribitur. Judicent autem, quibuscunque curæ est veritas, an non omnia hæc simul sumpta & ritè ponderata, quodam modo evincant, *Animas à corpore separatas subsistere & operari.*

XVII. Hucusque testimonia adduximus historica, pro adstruenda *separatione animarum*, jam restat, ut etiam ratione utamur & argumentis talibus, quæ minus subjecta sunt effugiis sive *profanorum*, sive *superstitiosorum*. Nemo enim, qui non seipsum velit profiteri *bestiam* esse, rejicere potest decreta & conclusiones *Philosophiæ* atque *Rationis*.

Hic ergo repetimus primò, quod *in nobis detur Anima realiter à corpore distincta*; unde sequitur, *illam quoque realiter & localiter à corpore separabilem esse*. Deinde notandum, immediatum animæ instrumentum esse, tenues illas & aëreas particulas, quæ communiter *Spirituum* nomine veniunt: per hos enim audit, videt, sentit, imaginatur, recordatur,

datur, ratiocinatur; perque horum motum, seu ad minimum per directionem illorum motus, pariter movet corpus suum, imò his mediantibus, aut simili saltem materia subtili, organizationem corporis vel complet, vel saltem promovet. *Rationi* tamen consentaneum est admodum, illam dum hanc facultatem exercet, cum spiritu naturæ, quæ *Plastico*, unionem habere, plus quam ordinariam, id quod non tantum *Plotinus* asserit, sed & prodigiosi illi maternæ imaginationis in infante effectus confirmant, qui certè quandoque tanti sunt, ut nisi assumatur spiritus naturæ in consensum, omnium reliquarum causarum virtutem superare videantur. Sed de his infra.

XVIII. Ex præcedentibus conclusionibus apparet, Animam, quatenus immediatè vestita est tenui illâ, de qua diximus, materia, quæ vehiculum ipsius internum est, paulò tantum magis differre, à Geniis aëreis, quàm à libero differt ille, quem carcer detinet. Ille enim videre tantum, aëremque haurire per carceris foramina potest, fætorique & putidis impuræ suæ cavernæ vaporibus immixtus est, dum alter ille, ubi commodum videtur, deambulare, aurâque perfrui potest: atque ita ad Genios liberos se habet anima humana, inclusa suo corpori. Et ut brevis sim, talis est differentia inter *Genios* & *animam*, qualis inter *gladium vagina vacuum*, & *confectum*: ita ut Anima tantum sit *Genius* in corpore,  
&

& Genius *anima* extra corpus; ut *antiqui* dixerunt, tribuentes sub *Dæmonum* appellatione, eandem utrique & naturam & definitionem promiscuè. Atque istud verè convenit cum illo *Michaëlis Pselli* οὗ ἐνεργείας Δαιμόνων de singulari notitia & experientia *Marci* eremitæ in hac materia, qui Naturam horum *Dæmonum* describens, Aërem ipsos & spiritum esse dicit per totum: unde audiant & videant, atque sentiant in singulis corporis sui partibus. Id quod hac ratione probat, admiratus ignorantiam hominum, hæc non intelligentium; nempe τὸ μὴ ὅτι πνεῦμα ὅσῃν ἢ νεῦρον εἶναι τὸ αἰσθανόμενον ἀλλὰ τὸ ἐν τέτοις ἐκυπάρχον πνεῦμα. *Non ossa nec nervos esse, per quæ sentiat anima, sed spiritus: his enim si privatum sit corpus, tum nec sensum habet, etiamsi majoribus organis nihil desit, ut in syncope & apoplexia* apparet. Unde planissimum est, immediatum vitæ vehiculum esse *Spiritus*, àque istis dependere connexionem animæ cum corpore; in quo *Doctissimi* quique *Physicorum* nobiscum consentiunt. Unde sequitur, hoc vinculo disrupto, animam à corpore liberari, egressamque è cadavere in elementum magis congruum, & principiis vitæ plenariè excitatis, in tenuiori isto vehiculo, tam fieri completam, quoad sensum & operationem, quam sunt reliqui aëreæ hujus regionis habitatores.

XVIII. Una hic opponitur *objectio*; quod hæc ratione & *brutorum animæ post mortem non subsisterent*

*tantum, sed & viverent*: Respondeo, multo esse probabilius illas subsistere, & actu secundo operari, quam animas humanas non ita subsistere. Non tamen confidenter asseram, opinionem de existentia illarum vitali post mortem, nec contrariam defendam, sed utramque hypothesein paululum examinabo. Et primo, ponam illas vivere, adductis rationibus: nempe quod illæ in morte non pereant; quod immediatum Vitalium functionum instrumentum in illis æquè sint Spiritus, ac in homine; quod in hac vitâ simul idem inhabitamus elementum, terram nempe, subjecti eidem fato ignis, diluviorum, & terræmotuum; quod non sit probabile, vastissimum illud æris, ætherisque spatium, quod non potest non habitatum esse à creaturis viventibus, unam tantum comprehendere viventium speciem, angelos nempe vel genios bonos vel malos: eadem enim esset solitudo, ac si in terra soli homines, & in mari solæ Nereides viverent. Porro, quod periodi Vitalis congruitatis, conglomeratæ in natura illarum animarum, per æternam illam Sapientiam creatricem, possint esse longiores vel breviores, prout requirit proprietas essentiæ illarum, & relatio ad *Universum*. Unde descensus & regressus ipsarum velociores vel tardiores esse possint; quod istud magis conforme sit cum *Bonitate Dei*, quam si aliter res esset, modò naturæ illarum id permetterent; quod existentia earum frustranea esset, si tamdiu privatæ essent vitali operatione,

ne,

ne, cum tamen commode illam habere possent: quod non magis futuræ essent aptæ, ad salvationem in altero statu, quam hic sunt aptæ ad conversionem; quod habitatores Aëris intellectuales, externo & corporeo sensu præditi, requirere videantur non ibi minus quam hic objectorum varietatem; quod historiæ testentur, sæpe visa esse in apparitionibus talia animalia aërea; equos nempe, canes & similia: & tandem quod contraria opinio non aliunde possit oriri, quam ab immoralitate, Matre ignorantia (quæ revera est exiguitas ingenii ex nimia *philantia* & contemptu aliarum creaturarum orta.) Id quamvis plausibile sit, nondum tamen decidit controversiam. Quamvis enim certum sit, *animas illas substantias esse realiter à corporibus separabiles*; si tamen unam tantum haberent *vitalem congruitatem*, terrenam nimirum, certè tum in Aëre vivere non possent. Quot autem *vitales congruitates* illis sint tribuendæ, id nemo novit, cum ab illius sapientia & consilio id unicè dependeat, qui omnia creavit. Præterea animæ Brutorum naturæ videntur esse magis passivæ, quam ut habiles sint ad vitam istam operativam; *libera enim illa & reëtrix imaginatio, nobis tantum competit, sicut & reminiscencia. Bruta verò passivam tantum habent Imaginationem, nudamque memoriam,* quæ cum in illo corporis naufragio proculdubio cessent, qualis quæso foret aëria illa vita, morte profectò parum melior, unde hoc sensu meritò judican-

tur

tur mortales. Quod jam nobis in eodem elemento cohabitent, nihil probat: alias enim & *vermes* & *pulices* & *pisces* eò deducendi essent. Quod de *solitudine* dicitur, rem non tangit: cum enim sunt in inferiori aëris regione tum illis inserviunt varia illa terræ marisque objecta. Conglomeratio tot vitalis congruitatis circuituum haberi potest pro ingenioso quodam invento; *sed à posse ad esse non valet consequentia.* De *divinâ Bonitate* notandum, quod non excludat *Sapientiam Dei*, qua rebus ipsis semper se accommodat, cumque naturam animarum brutalium tam exactè non intelligamus, quis hîc concludere poterit, utrum hoc melius sit an illud? *Musicus* certè non omnes chordas simul tangit, sed cum tanguntur, sonum edunt, intermedio tempore silent: atque ita quoque non omnia entia simul operantur & in actu sunt in *Natura*, atque eodem tempore. Unde probabile est brutales animas filere quandoque ad certum temporis intervallum, cum scilicet vitale illorum temperamentum deficit. Quod de conversione additur, & *salvatione*, verum est; sed illud nec de *plantarum animabus* negari potest, unde tamen non infertur, illis competere vitam quandam aëriam. Apparitio equorum canumque & similibus, fieri potest à *Geniorum* in istas formas transformatorum lusu: è quo quamvis appareat, illos a talium animalium usu non abhorrere, si haberent; tamen videtur eos hoc usu facile carere posse, cum ipsi tales formas pro lubitu

assu-



assumere queant. Unde concludimus, quod è mero lumine Rationis infallibiliter demonstrari nequeat, Animas Brutorum post mortem carere vitâ, nec incongruum esse per naturam, illis attribuere vitam, id quod ad enervandam hanc objectionem sufficit.

XIX. Pro vita autem & activitate animarum humanarum extra corpus hoc, omnia ferè faciunt, absque ullo impedimento. Aërii enim genii cum facultatibus suis tantopere nobis sint similes, cum ambo simus creaturæ intellectuales, & utrisque eadem sint instrumenta perceptionis & sensûs, Spiritus nempe aërii, adeò ut vix alia intercedat nobis differentia, quam quæ inter nudum & vestitum est; annon facillimè inde colligitur, nos à corpore separatos, soloque vestitos aëre, omnino ipsis futuros similes, eadem vitâ & activitate præditos? Certè enim cum puriorem haurimus auram, quo subtiliores in nobis generantur Spiritus, eò nobiliores atque diviniore & magis intellectuales fiunt cogitationes nostræ. Nec major est saltus sursum quam deorsum tendendi. Hinc si illud quod in nobis tam divinum atque angelicum est, uniri potuit cum corpore brutali, (tale enim est terrenum hoc) cur non anima, terrestri ejus congruitate vitali non obstante, uniri posset cum vehiculo angeli?

XX. Sed res adhuc clarior erit considerantibus, quod tales in nobis deprehendamus facultates, quas anima impeditas videt, & obscuratas ob fatalem hanc

in carcere corporis sui commorationem : adeò ut, cum licet , earum beneficio erumpat, contra incommoda illa , quæ à constitutione corporis sui etiam optimâ, ordinariè adversus eam procedunt, *voluntas enim repugnat impuritati spirituum*, qui passiones verè brutales ( quæ nihilominus aliis creaturis summam afferunt voluptatem) excitant; ita ut *totâ sæpe vita non nisi perpetuum bellum sit*. Unde manifestum, illam animadvertere se in pessimâ vivere conditione, creatam ad meliorem purioremque statum, ad quem tamen pervenire nequeat, nisi extra hoc corpus vivat : id quod & quodammodo facit in divinis ecstasibus & somniis, in quibus organis corporalibus non utitur, sed purioribus tantum spiritibus quarti ventriculi cerebri adhibitis, tanquam sibi relicta operatur, circa præludia quædam occupata eorum, quæ gerenda erunt in vehiculo aërio.

XXI. Tandem notandum, quod *immortalitas animæ communis sit spes & expectatio omnium Nationum*, & propterea *naturalis* : paucissimi enim tam barbari sunt, ut istam veritatem non agnoscant. Quamvis, ut solet, ridicula quædam occurrant, circa determinationem futuri status, exempli gratia, post mortem venturæ sint animæ in hoc vel illud nemus; in istum collem, in talem insulam, qualis erat *Δρόμῳ Ἀχιλλεύῳ*, vel insulæ fortunatæ, vel in campos quosdam, quales finguntur *Elysi*. Atque hic quidem certè scio fore, ut si quis simplicibus il-

illis barbaris describat *caelum empyreum*, computatâ ejusdem altitudine & distantia à terrâ, expressisque tot orbibus solidis, penetrandis omnibus beandorum animabus, fore inquam, ut æquè rideatur ab illis, ac illi à nobis rideantur, & fortasse prudentes quidam atque sagaces, utrosque rident. Id sufficit, omnes nationes suo modo in eo convenire, quod *æque expectanda sit immortalitas*; ac *colenda est Deus quædam*; unde certum est istas conclusiones in *lumine nature fundari*.

XXII. Jamque & ad *Deum* convertamur, consideraturi, an sit possibile, quod Ille, cum tanta in animam impresserit *immortalitatis* vestigia, hic queat subsistere; nec rem ipsam nobis concedere? quam facile enim potuit *vitales congruitates* in anima multiplicare? Et certè si Veracitatem, Justitiam atque Bonitatem ejus intueamur, omnes istæ nobis argumenta suppeditant pro sententia nostra. Quia enim *omnibus ubique gentibus*, ubicunque unquam existit religio, *felicem aliquem statum post hanc vitam promisit*, id quod *Prophetae* omnes, editoresque miraculorum semper confirmarunt, & nobilissimi atque virtuosissimi quique præ cæteris avidè amplexi sunt. Annon insignis Veracitati divinæ inureretur macula, si nihil horum futurum esset? Quis enim diceret Deum ita decipere homines in bonum finem, ut parentes quandoque liberos fallunt? Deinde à *Iustitia Dei* argumentamur: Si Deus est *Νόμος ἰσοκλινης*, nec tamen

## 112 D. HEINRICI MORI

virtuti in hac vita sua sunt præmia, necesse est alium nobis expectandum esse statum: Quod enim *Stoici* dicunt, Virtutem ipsam præmium sibi esse sufficiens; falsum esse apparet, ex verissima summi Boni descriptione *Epicurea*, quod illud in *voluptate* consistat; ad illam enim omnes omninò homines aspirant, quicumque veram ejus notionem habent. In severa autem Virtute hoc in mundo nulla potest esse voluptas. Quod alii dicunt ipsam immortalitatis spem, (cum omni quippe animi tranquillitate atque lætitia conjunctam) æquivalere molestiis, quæ virtutem comitantur, omnibus ridiculum est. Deinde & ex poenarum necessitate sequitur, alium superesse statum: notum enim est impiorum scelera rarissime hic puniri. Nec sufficit allegare tormina conscientia: illa enim in plerisque vel dormit vel excitata, negotiis mundanis, adulatione amicorum, & falsa informatione sacerdotum aut Philosophorum planè opprimitur. Unde impiis in hoc mundo felicissimus profectò status esset, nisi alia superesset vita. Tandem à *Bonitate Dei* istud fluit argumentum: Si Deus semper constituit id quod est optimum, certè non potest dici, animam ab ipso creatam esse mortalem; melius enim est illam semper vivere. Atque hæc argumenta irrefragabiliter demonstrant, *Animam, à corpore separatam, vivere.*

LIBER TERTIUS.

De

STATU ANIMÆ  
POST MORTEM.

---

CAP. I.

*Principia quædam, quibus innititur veritas rerum  
proponendarum.*

I. **D**emonstratâ jam *immortalitate animæ*, nihil  
opus esset, quicquam adjicere ulterius; nisi  
propria me urgeret curiositas, ut de *futuro  
statu* quædam tractarem: ubi tamen fortè tam firmo  
non licebit progredi gressu, ac factum est hætenus;  
nec enim demonstrari quicquam poterit, sed *diale-  
ctice* tantum tractanda erunt omnia; ea tamen, qua  
possibile est, facilitate & perspicuitate, quem in fi-  
nem sequentia iterum præmitto *axiomata*.

AXIOMA I.

*Anima à terrestri hoc corpore separata, non perdidit  
omnem vitalem cum materia Unionem,*

Hæc receptissima est inter *Platonicos* opinio, inter  
H quos

quos tamen à communi sententiâ *Plotinus* dissentit, imprimis circa *animas divinissimas*, quas tandem omni materia perfectè nudari asserit, nec uniri cum ullo *ente*, præter ipsum Deum. Quod figmentum procedere videtur, ex illa temperamenti inæqualitate, ex qua idem asserit, *animas degeneratissimas tandem subintrare arborum corpora, & succrescere in vita plantali*. Talia figmenta autem, mirum in modum depravarunt antiquam illam *Cabbalam*, quam *Platonici* profitentur esse Θεοῦ ἰδέσθου. Interim *Plotinus* non negat, animas tamdiu in corporibus aëreis vel cœlestibus operari, donec ad summum illum puritatis gradum accedant. Quod autem nunquam penitus à materia liberetur anima, etiamsi tandem purissima fiat atque tenuissima, probabile fit admodum à modo operationum ejus in hac vita. Subtilissimæ enim, & maximè intellectuales operationes ejus, dependent à congruitate temperamenti in spiritibus, quæ illam invitat quasi, & habilem reddit ad amandum, & contemplandū objecta divina & intellectualia: hoc enim si immediatè dependeret ab ipsius essentia, quid obstaret, cum voluntas non desit, quin fieret, etiam in summa spirituum intemperie: quæ enim à nuda animæ essentia dependent, præcisa omni unione cum materia, illa necessariò eadem semper sunt, in quacunque demum materia degat anima, (in aliqua enim materia necesse est semper esse animam, cum totum Universum materia nullibi careat.)

Unde

Unde planum fit, naturam animæ talem esse, quæ non operari queat, nisi dependenter à materia, ita ut ab ista omnes *actiones* ejus quodammodo modificentur. Si igitur post mortem in actu est anima, evidens certè est, illam non esse liberatam ab omni vitali unione, cum quacunque materiæ specie: quæ opinio non *Platoniorum* tantum est, sed & *Aristotelis*, ut facilè colligi potest ex iis, quæ suprâ ex illo produximus. Præterea absurdum videtur, animam humanam, tam profundè immerfam materiæ, ( ut cum brutis societatem habeat, ob vitalem ejus unionem cum crassa ista carne atque ossibus; ) tam subito posse mutari, ut nulli penitus materiæ adhæreat, sed ad puram ἀυλότητα ascendat, qualis fortè non nisi soli Deo competit: nisi dentur tales creaturæ, quas *Platonici* Νόες dicunt, seu puras intelligentias.

AX. II.

*Triples datur in Animâ vitalis congruitas, æthereæ nempe, æreæ, & terrestris.*

Quod hæc opinio itidem communis sit omnibus *Platoniciis*, supra dictum est: ejusque veritas è præcedenti axiomatico fluit. De *vitali congruitate terrestris* dubium nullum est, : & nisi ab omni vitali cum materia unione liberare velimus animam, necesse est, ut & è cæteris una ad minimum ipsi concedatur: *Vitalem* ergo habebit aptitudinem subeundi ærem; ille enim commune est spirituum tam malorum, quam bonorum receptaculum ( sicut terra hominum

est & bestiarum omnis generis: ) revera tamen potius eorum, qui hoc vel illo modo mali sunt, quam bonorum, sicut in terra videmus. At anima, cum apta sit, quæ possit ad summum usque gradum purificari, ( ut ascendat ad statum purè Angelicum; ) procul dubio, si rationis usum sequimur, totiusque *antiquitatis* consensum, tandem obtinere poterit vehiculum cœleste.

## AX. III.

Juxta usitatum Naturæ morem, *Anima ordine recipit vitales has congruitates, non transiens ab uno extremo ad alterum, absque medio quodam statu*

Veritas hujus *axiomatis* nititur vulgari illo: *Natura non facit saltum*: & præterea considerantibus, quam paucos purificationis gradus, etiam bonorum animæ in hac vita acquirant; manifestum evadit, paucos admodum à terreno corpore solutos, immediate ad ætherium suum vehiculum elevari; cum id non nisi nobilissimis & verè heroïcis spiritibus competat, quales in historiis admodum rari occurrunt. Dari tamen in corporibus aëreis puritatis atque excellentiæ gradus, non videtur absolum, ita ut justa *Nemesis* suum aliquando cuivis sit tributura.

## AX. IV.

*Anima in vehiculo aëreo capax est sensûs propriè dicti; & consequenter voluptatis atque doloris.*

*Sensus enim à vitali unione quâcunque resultat; & tum idem nobis erit immediatum sensûs instrumentum.*



mentum, quod jam est: *voluptas* autem & *dolor*, non sunt nisi modificationes quædam sensus propriæ; cumque nullum inveniatur corpus, quod non sit *patibile*; hinc patet, quod ista vehicula aërea subjecta sint non minus dolori, quam voluptati in illa regione, ubi tam boni quam mali participes fieri possunt.

A X. V.

*Anima materia vehiculi sui Aërei, nec addere potest, nec demere, insignem aliquem motus gradum, sed dirigere tantum particulas motas, pro lubitu, per imperium voluntatis suæ.*

Probabilitas hujus axiomatis apparet (1.) ex præcedenti; consideratâ enim asperitate & angulositate particularum Aëris, certè motio aliqua violentior, aut quies quædam compressiva, videntur non posse non esse dolorificæ animæ, minusque convenientes tactui ejus: (2.) ex eo, quod observamus in spiritibus nostris hoc in corpore; illos enim dirigere tantum possumus; nec addito, nec dempto ipsis motu per imaginationem, voluntatemve nostram (nemo enim imaginando calorem sibi friguseve conciliare potest, quæ sunt certissima insignis cujusdam motus, quietisve consequentia, quantumcunque spiritus suos velit, modò velocius, modò tardius moveri; sed dirigere illos potest in organa motus spontanei; hisque motis incalescere.) (3.) ex divina providentiâ creatrice, quam probabile est statum hunc animæ

strictioribus conditionibus limitasse, ut competere posset tam malis quam bonis.

## A X. VI.

*Quamvis anima materia aërei sui vehiculi, nec addere, nec demere queat insignem aliquem motus gradum; nihil tamen obstat, quin utrumque facere queat in vehiculo aethereo.*

Ratio est, quia particulae Vehiculi aetherei, partim consistunt è materia tenui, partim è figuris sphaericis laevissimis; illa enim absque omni violentia, rebus sese applicat ob summam liquiditatem: aër verò, ut apparet in tormentis æoliis, partes habet tam rigidas atque asperas, ut cum compressæ sunt, ad summum usque gradum, ad modum arcûs chalybei, data libertate, resiliant, globumque ejaculentur, æquè ut pulvis pyrius. Præterea censendum est meritò, divinam Bonitatem, congruitati vitali aethereæ majorem concessisse potentiam, quippe quæ non excitatur, nisi in animabus perfectè obedientibus & bonis, nec datur in subjecto ullum obstaculum.

## A X. VII.

*Quo purius est vehiculum, eo vividiores & perfectiores sunt facultates anima perceptiva.*

Veritatem hujus propositionis quodammodo experimur in hac vita, in qua facultates perceptivæ omnes vel vigent, vel stupent, pro ratione spirituum, vel puriorum, vel impuriorum.

*Anima mirabilem habet virtutem mutandi, non tantum temperamentum aerei sui vehiculi, sed externam quoque figuram eius.*

Primam partem axiomatis veram esse docet quotidiana experientia; sæpissimè enim observare licet, quam vehementer *Passiones* animi agant in spiritus nostros: & quantum ira, & desiderium, & gaudium alterent corpus, ut de aliis nihil dicam. Et certè *quo purius est corpus, eo mutabilius censendum est hoc in casu, ut necessum sit passiones animi in æreum vehiculum, insignem habere influxum; quod quamvis in aliud quid mutare nequeant, quam in aërem, eundem tamen qualitatibus imbuere poterunt tam diversis, quam diversa sunt Virtus & Vitium, morbus & sanitas, voluptas & dolor, lumen & tenebra, fœtor & fragrantia.*

Altera pars deduci potest è parte posteriori ax. 5. posita enim tali virtute in anima, quæ dirigat motiones particularum fluidi ejus vehiculi, necessariò sequitur, illam etiam habere potentiam transformandi vehiculum, quodam modo, pro arbitratu: quibus adde ea, quæ fieri possunt pro imperio voluntatis & phantasiæ in hac vita: ex eo enim tantum quod velim & concipiam motum oris, pedis, vel digitorum, illa movere possum, modo suppetant spiritus, quos dirigere queam ad istum motum; & tum totum animæ vehiculum suo modo non est, nisi spirituosum.

Huc faciunt & *signaturæ* foetus in utero, factæ è desiderio & imaginatione matris; de quibus prolixius infra.

## A X. IX.

*Rationi consentaneum est, quod si quaedam facultates obdormiscunt in morte vel post, alia expergiscantur, quæ magis convenientes sint illi statui.*

Veritas hujus axiomatis inde patet, quod Animæ nostræ non fortuito existant, sed creatæ sint à Deo sapientissimo, qui cum prævidisset omnes earum status, excitationem quoque, vel consopitionem facultatum, huic vel illi statui convenientem, adornavit.

## A X. X.

Sive vitalis congruitas animæ expiret, elapsâ scilicet illius periodo, sive materiæ congruitas destruat, essentiali quadam intemperie, *Vitalis unio immediate cessat.*

## CAPUT II.

*De Animâ consideratâ in genere, partim in se, partim quoad vehicula.*

I. **U**t jam naturam animæ, & conditionem ejus in statu *separationis*, eo rectius intelligamus, primo consideranda est illa in se, & sua essentia, absque relatione ad corpus; atque ita definienda

enda est, quod sit *Substantia extensa & indiscer-*  
*pibilis*, ut patet ex iis, quæ supra dicta sunt: *dimen-*  
*siones* ejus autem tam amplæ sunt, si non ampliores,  
quàm cum in corpore esset; quod contra scholas  
notandum, quæ primò omnem spiritibus extensionem  
adimunt, deinde disputant, quotnam talium substan-  
tiarum simul saltare, possint in cuspide acûs, quæ ine-  
ptiæ perceptionem nostram adeo constringunt, ut  
nihil de essentia nostra concipere queamus, aut si  
eandem consideramus, tantus in nobis oriatur no-  
stri contemptus, ut viliores nobis videamur atomis  
pulverulentis Solaribus.

II. Quàm tamen est manifestum quod *anima ha-*  
*beat dimensiones*, licet non infinitas, & propterea  
*ad certam aliquam figuram terminatas*; tam incer-  
tum est, utrum aliqua ipsi sit figura naturalis, ani-  
mali similis, an verò per se, rotunda existat, vel  
ovalis, ita tamen, ut quavis occasione figuram muta-  
re queat? Nihil refert quicquam amplius in ista quæ-  
stione definire, quàm quod animâ in terrestrem mate-  
riam agente, *plastica* ejus pars determinata sit, ad  
formationem corporis in formam humanam; in æ-  
reo verò, vel æthereo vehiculo existens, quod nec  
magis nec minus determinata sit ad ullam formam,  
quam Genii vel Angeli. Quodque denique, si vehi-  
cula eorum magis naturaliter inclinent ad unam for-  
mam quam ad aliam, animæ forma ejusdem sit con-  
ditionis, adeo ut in vehiculo suo visibili ordinariè

habeat Angeli formam, quoad vultum & vestes:

III. Istud magis ad rem accedit, ac facilius sanè decidi potest, *utrum animæ substantia sit homogenea, an verò heterogenea suo modo?* Quod enim polterius verum sit, manifestum est, ex iis, quæ suprâ diximus, nempe quòd perceptiva facultas non pervadat totam animam, sed limitata sit ad certam quandam partem, quam *centrum* sive *oculum Animæ*, item *partem Perceptivam* diximus: reliquâ parte existente Plasticâ. Sed hic major oritur scrupulus, *annon in Plasticâ hac parte, detur heterogeneitas quædam?* Aristotelici quæsitum confidenter negant, putantque, si oculus in pede esset, pedem æquè videre posse, ac caput; quod mihi valdè videtur dubium: inde enim sequeretur, quasdam creaturas percipere lumen aliquod, non oculis tantum, sed toto corpore, cum transparentes sint quodam modo undiquaque: & quidam, quibus subtilia & tenuia sunt corpora, præter oculos etiam inter extremitates digitorum, lumen perciperent, quæ suo modo satis pellucidæ sunt; unde cum spiritus & vita continuentur hinc usque ad quartum cerebri ventriculum, sequeretur, animam posse ex ista parte, & videre & sentire lumen aliquod.

IV. Magis itaque videtur *Rationi* consentaneum, quod detur *heterogeneitas quædam in Plastica animæ parte*, ita ut non omnes circuli, ambientes animæ centrum, easdem habeant virtutes. Sed  
 primus

primus gradatim deficiat à summa excellentia, (partis Perceptivæ enim centrum longè statuendum est vividius, quàm circumferentia) proximus, qui primus est in Plastica, idoneus sit ad deducendum omnium sensuum objecta; Secundus in eadem auditus sit & tactus, excluso visu; extremus, qui maximus procul dubio, transmittat percipiendo objecta saltem tactilia, reliquis verò medium tantum sit insensatum: & hac quidem ratione, ut, si placeat nobis exemplum *Ficini*, Anima similis sit stellæ, cum halone.

V. Si verò unquam putaretur anima propendere ad formam aliquam personalem, tum necessum esset, directionem radiorum plasticorum tendere ad speciem aliquam organizationis, in quantum conduce-  
ret statui animæ, sive aërio, sive ætherio. Quod enim Virtus plastica aliquid sui vel omittat, vel mutet, abrepta per naturam materiæ in quam agit, apparet ex organizatione corporum nostrorum terrenorum. Probabile enim est *animam in se utriusque perinde esse sexus*, unde & materiam interdum utroque sexu signat, sed rarius; inde tamen manifestum est, illam omittere unam partem facultatis Plasticæ, adhibitâ tantum alterutrâ in plerisque formationibus foetus. Atque hinc facile concluditur, quod, posito facultatem plasticam naturaliter conformare æthereum, aëreumve vehiculum, ad formam quandam animale, illa tales tantum ad-

adhibeat efformativæ vires, quales conveniunt Naturæ Angelicæ. Sed juxta hanc hypothesin, fortè non omnia objecta sensuum, pertingunt ad centrum animæ, à quavis Horizontis parte: quod etiam non fieret, etsi hæc organizatio non esset naturalis, sed arbitraria tantum. At verò, sive anima concipiatur ut restricta ad formam quandam animale, sive ut dissoluta ad figuram aliquam rotundam quadante-nus, prout nimirum disponant se radii ejus in vehiculo aëreo vel æthereo, tamen sedes visus videtur debitè restricta, quod maximè notandum.

VI. Atque hæc in genere de *extensione & heterogeneitate animæ* dicta sufficiant; unum hic tantum de *aërio* atque *ætherio ejus vehiculo* adjiciam, atque deinde ad particularia descendam. Ineptè enim quidam statuunt, quod *detur Vacuum* in Natura, quodque *omne corpus, quo levius est, eo minus in sese habeat substantiæ*. Si enim admittatur Philosophia *Cartesiana*, certè negari non poterit, quin tantundem materiæ sit in omni consistentia: adeo ut non plus insit substantiæ in vase hydrargyro pleno, ac in eodem repleto aquâ vel aëre. Id quod propterea adduco, ut imaginationem hominum à communi illo errore liberem, quod spiritibus subinde apparentibus, non plus insit substantiæ, quam umbræ corporum, aut imagini in speculo, vel undis visæ; unde etiam *Umbrarum* nomen, & alia similia. Atque isti spiritus, quo magis sunt visibiles, eò magis finguntur



guntur esse substantiales, eo quod aër tantoperè condensatus, non tantum ipse sit multiplicatus, sed etiam materiam exhibeat copiosiore, quam antea in eodem spatio erat. Unde necessum est, istos statuere, quod mors nos redigat in essentiam vilissimam, in quâ substantia nostra ferè tota deperdita sit, non remanente nisi tenui quodam fumo, qui ad nos non aliter se habeat, quam vapor ille, quem sudans post se relinquit equus in medio cursu, tempore hyemali.

VII. At vero si à dubia quadam pelluciditate ad defectum substantia corporeæ valet consequentia, certè columna crySTALLINA, minus habebit materiæ, quàm columna fumi; indignum enim est *Philospho*, judicare de corporeitate rerum ex mero visu; ita enim aër nihil omnino esset. Dicendum ergo, defunctos non minus habere materiæ, quàm viventes; eorum tamen corpora multo magis esse activa, cum magis sint spiritualizata, ut ita dicam, *id est*, nacta majores gradus motus; (quales tota materia mundana recipit ab ente aliquo spiritali, adeo ut hoc respectu, eo magis dici possit conspirare cum essentia illa immateriali, quo majorem participant motum; sicut cum illa quoque conveniunt in effectu motus, tenuitate nimirum & subtilitate particularum, cujus beneficio quodam modo imitari possunt spirituum vim penetrativam. Hinc, si physicè loquendum est, certum est, *animam per mortem nihil amittere, sed*  
*potius*

*potius lucrari aliquid.* Non solum enim tantundem corporis possidet, quam antea, cum iisdem & æquè solidis dimensionibus, sed corpus obtinet vividius, majorisque particeps motûs, quam antea.

## CAPUT III.

*De loco, ubi Anima degat, post mortem.*

I. **P**articularia illa, quæ sita de *Anima in specie*, ad tria potissimum capita reduci queunt: ut  
 1. agatur de *loco habitaculi* ejus. 2. de *functionibus*. 3. de *morali ejus condicione*. *Locus*, quem inhabitat, est *aër*, quod constanter asserunt *Philosophi antiqui*, atque *Theologi naturales*, unde istud animarum receptaculum ipsis dicitur *αἶθερ*, id est, *αἴθερ*, quia defuncti sunt in statu invisibilitatis, quod receptaculum eorum sit elementum per se penitus invisibile, plenumque caliginosis nebulis, & per vices tenebri-  
 cosâ terræ umbra contactum. Veritas hujus opinionis patet ex axiom. 3. & 5. Cum enim *Natura non faciat saltum*, necessum est, primam Animarum separatarum stationem esse *Aërem*, quia illa vitalis congruitas, quæ appetit *Aërium Vehiculum*, ordine expergiscitur, immediatè post relictum corpus terrenum.

II. Cum itaque Anima hac ratione vitaliter unitatur cum vehiculo aëreo, impossibile est, ut excedat has regiones, quia motiones ejus non sunt, nisi pro  
 capa-

capacitate vehiculi ejus, cujus consistentiam in purius temperamentum Aëreo, ipsa mutare non potest, mutata *scilicet* specie: sed conspissare aërem potest, dirigendo motum ejus versus semet, atque ita excludendo insignem quandam partem primi atque secundi elementi, plus aeris sibi adsciscere potest, solito. Non autem possibile est, ut aerem à se ita releget penitus, ut duo illa elementa sola actuet, aut insignem quandam eorum partem, quia Ætheria congruitas vitalis adhuc planè consopita est, quam etiam pro lubitu excitare nequit: unde dolorem exquisitum & mortem quasi sibi accerferet, si materiam aëriam plane à se remove conaretur. Præterea talis requireretur virtus, quæ non tantum directionem materiæ, sed & motionem ejus implicaret, ut anima obsistere posset aliis partibus aereis, quæ comprimi & constipari renuerent: id quod, quamvis aliqua ex parte fieri posset, tanta tamen non potest esse vis directionis illius, ut æthereo plane vehiculo potiatur, ut manifestum est ex axiom. 5.

III. Necessè ergo est, ut Anima à corpore separata alicubi degat in Aëre, quamvis non sit necessè, ut omnes eandem incolant regionem. Quo enim quædam animæ magis sunt purificatæ aliis, cum deserunt corpus, eo purior gradus vitalis congruitatis in ipsis expergiscitur: unde per divinam illam Nemefin, quæ pervadit omnia, naturaliter deducuntur ad talia loca; & associantur talibus, quibus par est  
natu-

natura, & conditio; idque sciendum est, tam accuratè fieri per æternam illam iustitiam, quam Deus tam profundè intexuit in essentiam totius Universi, quàm fieri potest per humanas leges in hoc mundo, ubi quidam in carceres, alii in *nosocomia*, alii in *Prytaneum* deducuntur.

IV. Unde probabile est admodum, non paucas fataliter ad infimam hanc aëris Regionem relegari, in qua non dubium est multos alios spiritus degere. *Cardanus* quidem (de *rerum varietate*, lib. 16. cap. 93. pag. 1139.) confidenter asserit, supremam aëris regionem solam habitari ab omnibus Dæmonibus atque spiritibus, eorumque descensum ad nos tam raro contingere, quam descensum hominum ad ima maris; nec minus esse difficilem; quia crassus iste aër, quem exhalamus, tenui illorum substantiæ non magis conveniat, quàm aqua nobis, in qua necessum sit nos continere anhelitum, unde nec diu in illa versari queamus. Præterea fingit, mediam aeris regionem, ob nimium frigus ipsis esse inhabitabilem, illamque inter nos esse ceu firmamentum quoddam, sicut mare inter nos atque pisces; quos quamvis ingenio ac industria multum superemus, non tamen pro arbitratu capere liceret ac occidere: atque ita & dæmones, quamvis parum nobis faveant, conflictu tamen corporeo, ob difficultatem descensus nocere nobis non posse; arte verò & industria paucos nostrum capi. Ineptus enim iste *Philosophus* non aliter nobis  
putat

putat strui insidias, quàm ut nos piscibus struimus, *nassis*, videlicet, *hamis*, *retibusque*; ita enim Aëreos istos Genios dicit, stationem suam observare in tertia regione *elementi* sui ( ut piscatores in littore, vel cymba solent ) atque inde ad nos demittere apparitiones & somnia, ut si qui capiantur, miseros perdant.

V. Hæc omnia, ut puto, propterea effinxit, ut rationem dare queat, quare *tam rarò appareant Genii*, & *quomodo tam parum noxa ab iis fiat*. Sed quilibet facilè videt, quod à rariori apparitione, ad negationem habitati infimi aëris, aut existentiae spirituum, argumentum non queat fieri; idem enim esset, ac si pisces, concessã ipsis *ratione*, ex rariori apparitione hominum, negare vellent istorum existentiam.

VI. Si tamen pro *distantia loci* in ista parabola, substituatur diversitas conditionis, tolerari potest similitudo. Tam rarò enim accidit, ut spiritus aliquis ita condenset vehiculum suum, ut ad terrenam ferme crassitiem redactum, visibile fiat, quam rarò contingit, ut homines ad imam maris profunditatem descendant: nisi enim insignis detur occasio, aut malitia, aut negotii magnitudo urgeat, certè non statuendi sunt mutare velle statum.

VII. Quod porro tam *parum damni* per ipsos fiat, non deducendum est à *distantia habitationis* eorum, sed à *Lege Universi*, cujus vis omnium

entium pervadit ordines. Præterea *Philosophum* non decet statuere, quod omnes spiritus aërei sunt osiores hominum tales, ut intendant ipsorum destructionem. Homines enim non oderunt piscium genus, eò quod in alio vivant elemento, sed lucri cibique causâ ipsos appetunt; quod certè de *Geniis aëreis, quarentibus perniciem nostram*, dici nequit: & tamen malitiam exercere solius malitiæ gratia, tantus est enormitatis excessus, ut quidam dubitent, utrum competere possit ulli creaturæ intelligenti. Id igitur *Cardanus* primò probare debuisset, deinde probandum prius erat, quod tot inter eos inveniantur, tam extremè pravi, ut eorum conatus non possint impediri ab aliis minus malignis: porro demonstrandum erat, quod totum humanum genus non sit peculi-um horum vel illorum spirituum; quod non dentur invisibiles quidam Gubernatores Nationum, Civitatum, Familiarum, & quandoque singulorum hominum; & tandem quod in regnis istis Aëreis, non potius *Politica quædam Bonitas* prævaleat, quam crassa illa injustitia: Hæc omnia enim etsi dicerentur, nondum tamen hos spiritus nimis perfectos exhiberent, nec Divina propterea ipsis tribueretur vita. Et tamen posito Politico hoc ordine, in promptu causa esset, cur plus noxæ non fieret, etsi omnia spiritibus essent repleta.

VIII. Hic tamen *notandum*, Spiritus istos, etiamsi non permissum sit ipsis, ut pro lubitu nocent,  
ant,

ant, hominesque occidant, seducere tamen posse illos, ac invitare ad ea, unde perniciēs ipsis imminet: quæ tamen fortè non majori cum intentione evenit, quam cum nos irritamus canes, gallos, urfos, tauros, & similia bruta ad pugnam, in qua non rarò vitæ jacturam faciunt. Probabile enim est, malos illos Genios, pro Natura temperamenti sui, insequi quosdam, qui ad hæc vel illa vitia proni sunt, eosque ad ista impellere per modum certaminis, vel ut satisfaciant phantasiæ suæ, quantum possunt: unde videntur ab illorum partibus stare, ut alios vincant digladiando, bibendo, ditescendo, ad honores ascendendo, & ita porrò. Si tamen interea pereat iste, qui tentationibus atque stimulationibus his nimium impelli se passus est, præter intentionem succumbit, nec majorem tamen fortè jactura hæc dolorem gignit Geniis, quam si nobis gallus in certamine pereat, aut alia quædam bestia. Hinc Spiritus isti seducendo sat mali efficere queunt, quamvis *per accidens* potissimum; per se enim ut tam enormiter noceant, vix possibile est, cum tot ipsis præsentent vigiles oculi: aëriæ enim istæ *legiones*, æquè capaces sunt honestatis politicæ, ac Nationes hominum, & fortè accuratius illam observant.

IX. Si autem procul remotæ essent, ut *Cardanus* sentit, non video, quomodo ullam habere possint nobiscum communionem: quod enim somnia & apparitiones ad nos demittere queant, somnium est,

ortum ex primo *Aristotelica Philosophia* errore, qui *Deum atque intelligentias e cœlestibus sphaeris operari fingit, in hac inferiora, ibique talia producere effecta, quæ tamen non nisi presente Numine atque Spiritu Vitæ, fieri possunt.*

X. Non impedit ergo opinio ista, quo minus concludamus, *inferiorem quoque aëris regionem Dæmonibus plenam esse: quod si ita se habet, non improbabile est, etiam impuriore animas illuc migrare.* Ubi tamen insignis iterum occurrit objectio, antiqua illa nempe *Lucretii*, quod cum ista regio tam obnoxia sit ventis, atque tempestatibus, Animæ in illa non possint accipere vehicula, nec conservare: fore enim, ut diffentur turbinum vi & procellarum impetu. Sed ad hæc facilis est responsio, si considerentur naturæ Ventorum, & vehiculorum istorum, & statica Animæ facultas.

XI. Ventus non sunt nisi *particula aquea, vehementissimè agitata*, ut optimè demonstrat *Cartesius*, de *Meteoris*: quæ *particula non tam propellunt aërem, quam transeunt*, sicut magna sagittarum copia, ab arcibus propulsa, aut nimborum & grandinum guttæ. Non ergo dissipantur particulae Aëris; sicut quis facilè concipere potest, si fingat totidem particulas capillorum, circumrotari per media sui puncta, ceu vectes, & ita per aërem prolabi: & quamvis nos ventorum impetum sentiamus, quia corpora nostra ipsis transitum negant, non tamen putandum est, idem



idem fieri in aëre fluido.

XII. Jam vehicula Geniorum & Animarum naturæ sunt aëriæ, unde impossibile est, ventos in ista aliter agere posse, ac in reliquum elementum; hinc particulæ eorum immotæ manent. Quod tamen etiam fieret, si ventus aërem secum corripere: tunc enim vehicula Geniorum, secundum flumen hoc aëreum promoverentur, absque ulla violentia, nisi fortè contra illud niti velint, quod tamen non magis necesse est, quàm ut in illud se immittant, aut in eo permaneant; subire enim possunt, ad modum aliorum viventium, domus, sylvas, valles, cavernas & similia loca; idque facillimè, cum Aëris mutationes ipsis facilius innotescant, quam aliis animantibus.

XIII. Tertiò tamen, *facultas* quoque talis in ipsis est, quam *staticam* dico, cujus beneficio etiam maximis procellis resistere possunt, atque ista oritur è potentia dirigendi motionem particularum vehiculi sui: de qua ax. 5. Unde necessariò sequitur, illos posse determinare cursum illarum introrsum, seu versus centrum: qua directione arctè & firmiter contrahi possunt. Atque hac *facultate staticâ*, si etiam extrorsum utantur, contra impetum ventorum, certissimum est, nullam fore vim tantam, cui non resistere queant.

XIV. Imò si etiam hoc concedatur, ventos vehiculis prævalere, non tamen propterea vita statim

deficeret ; idem enim ventus , qui unam aëris partem difflat , alteram advehit , quæ confestim actum præsentis Animæ susciperet ; quamvis non opus sit eò devenire : probabilius enim est , animam cum una Aëris parte arctius esse unitam , quam cum alia , eamque vehiculum suum tantum gradatim dimittere , sicut & nostri spiritus pedetentim dissipantur , per insensibilem perspirationem.

XV. Porro , si venti nocere nequeunt vehiculis istis , quanto minus incommodi afferent pluvia , grando , nix , atque tonitru : ista enim facillimè penetrant , velut reliquum aërem , ita & animatum , nullo relicto vestigio. Unde omnia ista meteora , si mediocria sint , delectare posse videntur animam illamque refrigerare ; si verò vehementissima sint , parum tamen incommodi inferent ipsi , multò minus vitam ipsam destruent. Unde concludimus , non tantum superiorem , sed & infimum hunc aërem posse inhabitari , & à defunctorum animabus , & à Dæmonibus ,

## CAP. IV.

*De Functionibus Animæ solitariae, & in se consideratae,*

I. **J**am de *Functionibus Animæ* quaeritur, quomodo, nempe, & quid agendo tempus collocet, idque partim cum solitaria est, partim cum in societate, ceu membrum aliquod imperii cujusdam politicum consideratur. Ubi quidem in genere concludere possumus, quod eadem sit ipsius, quæ omnium Geniorum aëriorum ratio, ἢ ὡς ψυχὴ ἀποδυσσάμενν τὸ σῶμα δαιμόνιον ἔσται, ut *Maximus Tyrius*, (*Differ. 27.*) *Xenocrates*, *Philo* & alii expressè affirmant. Sed rem paulò specialius intuebimur.

II. *Anima solitaria, & in se considerata, occupatur circa objecta vel sensuum externorum, vel Animi.* De illis quaestio facilius moveri, quam resolvi potest, difficulter enim asseri potest, an eodem utatur sensuum numero tum, quo hîc utimur. Et de Auditu, Visu, atque Tactu quidem vix puto scrupulum esse, quia isti admodum necessarii sunt ipsi, sive vehiculum ejus sit organizatum, sive non; de visu atque tactu præcipuè res facilior est. Cum enim visio nostra non fiat aliter, quam transmissione motus, beneficio particularum sphaëricarum, continuatarum ab objecto per aërem, ad verum visus or-

ganum, vitaliter cum anima unitum, impossibile est animam separatam non posse videre, cum particulæ istæ totum ejus vehiculum pervadant. Quæstio tamen est, an singulis ejus partibus videat? ad quam respondetur negando: partim, ut antè jam dictum, ob heterogeneitatem partis plasticæ, partim ad evitandum insigne quoddam inconueniens, quia alias futurum esset, ut omne objectum propinquius, non duplex tantum, sed centuplex, imò millecuplex videretur.

III. Si tamen in orbe quodam aëreo, homogeneo, jaceret anima absque organizatione, nihil obstat, quominus ab omnibus partibus videre posset, antrosum nempe, retrorsum, sursum, deorsum & sic porro: Organizzato autem vehiculo, forsitan restringeretur visus, ut in nobis, quibus retrorsum simul videre non licet.

IV. Manifestum ergo est, quod aërii illi spiritus, quamvis à nobis non videantur, nos tamen omninò videre queant; idque fortè ad stupendam distantiam, si vehiculum suum, sive organum visus transformare possunt, in talem figuram, quali utimur in vitris dioptriciis: quæ facultas infinitè excederet contractionem & dilatationem pupillæ nostræ: atque id non videtur impossibile geniis istis, ob axiomm. 5. & 8. Idem dici potest de Auditu. Ex eodem enim principio apta videtur Anima, ut ipsa sibi organa formet acustica, longè procul dubio  
 excel-

excellentiora, quam hactenus excogitata sunt unquam: atque hæc facultas videtur quodam modo correspondere illi, qua bruta arrigere possunt aurículas. Quod autem à nobis non videantur, mirum non est, quia corpora eorum sunt diaphana, nisi fortè hanc sibi imperent molestiam, ut illa reducant ad consistentiam aliquantò magis terrestrem, quo lumen reflectere queant. Atque hinc nec facile audire possumus sermones ipsorum, partim quia vel minima Aëris commotio agere potest in vehicula ipsorum, partim quia fortè subtiliori & puriori huius elementi parte, in isto exercitio utuntur, quam statuendum est non adeo aptam esse ad movendum sensum nostrum: unde nisi data opera audiri velint, à nobis percipi nequeunt.

V. Quod tactu quoque polleant, verissimum est; nec opus habet deductione. Et ut liberè dicam quod sentio, durum omninò videtur, si quis ipsis negaret analogum quid olfactui & gustui, qui sensus tactui adeò confines sunt. Cum enim fumi & odores tam facilè penetrent aërem, cur non naturaliter etiam ipsorum vehiculis sese insinuarent? Atque isti fumi si crassiores sint & humectantes, videntur posse in illis hanc tactus modificationem excitare, quam mortales gustum appellant; si vero fixiores sint atque subtiliores, olfactui quid simile movere posse videntur. Quod si admitteretur, certè aliorum respectu modestè admodum diceretur: *Carda-*

*nus* enim (de *Rerum varietate*, lib. 16. cap. 93.) directò affirmat, *Aërios genios nutriri, eorumque quosdam animalium corpora subire, ut sanguine illorum atque spiritibus vescantur.* Id quod & statuit *Marcus Eremita ille Mesopotamicus* apud *Psellum*, (*ὁ δὲ ἐρημὸς σαυόρων.*) qui tamen recenset, puriorem Geniorum speciem nutriri assumpto aëre, ad modum spirituum nostrorum in nervis atque arteriis; alios autem deteriores humorem attrahere, non ore, ad modum animantium, sed spongiarum more, aquam attrahentium. Et *Moses Aegyptius* (*More Nevochim*, pag. 3. cap. 46) de *Zabiis* scribit, quod *sanguinem victimarum comedant, eo quod eundem à Demonibus, quos colunt, assumi putent; unde ob communem cibum facilius idonei fiant ad illorum communionem.* Quæ si credi possent, tolerabiliora quoque redderent ea, quæ de spiritibus veneficarum familiaribus, eorumque nutritione dicuntur.

VI. His ita præmissis, facilè explicari potest, quomodo *anima separata tempus suum collocare queant*, etiamsi tantum circa externa objecta occupatæ forent: quicquid enim cælum exornat, terramque, visui ipsarum expositum est; idem ipsis, qui nobis videtur, *Sol, & Luna eadem, præterea homines vident, eorumque societatibus interesse queunt*, adeò, ut, nisi specialis quædam Lex obstet, per urbes & oppida circumire possint, quod & *Hesiodus* intimat, his verbis,

*Hies*

Ἡ ἐξ ἐσάμηναι πάντων φωνῶν ἐπ' αἰῶν.

Imo nihil est, quod nos delectat, cui non ipsæ se immiscere queant, sive *campi sint, sive sylvæ, sive montes, sive horti, sive fluvii, sive fontes*, quibus adde *publicas solennitates, pompas theatricas, spectacula, discursus publicos & privatos, exercitia Religionis, sive in templis, sive domi: imprimis bella atque prælia, amoresque & similia*, quibus non ut spectatores tantum adsunt hi Genii, sed & ut incitatores, ut *Plutarchus* scribit: Sicut enim senes, etiamsi ob virium defectum, ipsi non amplius exercere queant hos vel illos ludos, sæpissimè tamen junioribus sese immiscent, ut spectatores atque instigatores, ita se quoque habere videntur animæ separatæ.

VII. Quales enim fuerunt *Animæ mores & affectus* in hâc vitâ, tales etiam eidem in statû *separationes* adhærent, unde Poëta:

----- *Quæ gratia currum*

*Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes  
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.*

Quæ si rectè intelligantur, non *figmenta* sunt *poëtica*, sed ipsa veritas è *Philosophia Platonica*: Et sic *Maximus Tyrius* (*Disfert 27 de Deo Socr.*) expressè loquitur, de *meliori Animarum specie*, quæ a corpore separata factæ sunt τῶ αὐτῷ γένει κίνησις δαιμόνες αὐτ' ἀνθρώπων, quod præter peculiarem illam feri-

felicitatem, qua cum Deo uniuntur, ab ipso mittantur ad inspectionem rerum humanarum; sed ita, ut non quilibet Genius, ad quodlibet adhibeatur officium, quod quidam putant, sed ut pro natura inclinationum & morum vitæ terrestris, exercitia quædam similia etiam illic suscipiant. Unde *Æsculapium* semper putant circa Medicinam versari, *Herculem* fortitudinis edere specimina, *Amphilochem* vaticinari, *Castorem & Pollucem* navigare, *Minõem* causas dijudicare, *Achillem* bellum gerere. Quæ opinio æque de malis geniis vera videtur, ac de bonis, atque hinc sequitur, animas pravorum circa id occupatas esse, ut assistant exercitiis vitiorum talium, quibus ipsi potissimum addicti fuerunt in hac vita, atque ad illa instigent alios & tentent: hinc parum abesse videtur quin mere sint diaboli.

VIII. Præter hæc omnia occupatæ esse possunt Animæ Contemplationibus intellectualibus, sive *Physicis* sive *Mathematicis* sive *Metaphysicis*: Scientia enim tam facilis non est & ordinaria, in illo statu separationis, ut non possit augeri continuo meditationum exercitio: cumque capaces sint oblivionis, per modum desuetudinis, nova certè videtur ipsis existere voluptas, ex reminiscencia speculationum quarundam ferè oblitteratarum. Quanquam illæ, quæ sensuum potius usu, quam intellectus exercitiis delectantur, tot inveniant in Natura mutationes, æris præsertim & inferiorum elementorum, circa  
 quas



quas occupari possunt, ut non opus sit ipsas fingere otiosas: sicut nec probabile est, quin ipsæ perpetua quadam inclinatione ad unum aliquod communius objectum, alligentur, ut propterea, sicut antiqui putarunt, distinctio fieri possit in *Nereides, Naiades, Oreades, Dryades, Deos tutelares, Lares familiares, &c.* Atque hæc de anima sibi relicta sufficiant.

## CAPUT V.

*De Anima considerata in societate & conversatione cum Geniis aliis.*

I. **C**onversatio Animæ separæ contingit, vel cum **H**abitatoribus Aëriis, vel cum hominibus hujus ævi, quamvis ista multò sit difficilior; in se nimirum, non verò quoad intellectum: Facilius enim concipitur, quomodo istæ nos possint videre, & opaca nostra corpora, lumen à se commodissime reflectentia; nec non quomodo sese nobis possint præbere conspiciendas, conspissando nempe vehicula. Sed quomodo *Genii* sese invicem videant, cum Aër sua natura sit transparens, difficulter videtur intelligi posse.

II. Sed notandum, Aërem admittere varios gradus *rarefactionis & condensationis*, & quamvis nobis æquè semper sit invisibilis; ut apparet in *thermometris, & tormentis æoliis*, non tamen putandum est,

est, eundem su o modo condensatum, etiam invisibilem esse *Geniis*, quia sensus ipsorum tenerrimi & subtilissimi sunt. Unde statuendum, Vehicula geniorum habere consistentiam, ab aëre quodammodo diversam, ipsisque inter se perceptibilem, quamvis à nobis videri nequeat: sicut quandoque glacies aquæ innatans, ab iis quibus acrior est oculorum vis, optimè discernitur ab illis quibus imbecillior est visus, non percepta. Si verò quis existimet, vehicula ipsorum, reliquo aëre puriora esse atque subtiliora, tum alio modo declaranda est illorum perceptio: nempe cum certum sit, aërem hunc vaporibus refertum quodammodò reflectere lumen, ut apparet in nebulis, & cum sol dicitur attrahere humorem, certè spatia illa, quæ vehicula geniorum occupant, ob subtilitatem nihil reflectent, adeoque sensibilia erunt, ob negationem reflexi luminis. Sed altera illa hypothesis verior videtur: sicut enim consistentia Aquatiliū aqua crassior est, ista se res habere videtur quodammodo in regione Aëria.

III. Illa tamen visio ad quamlibet distantiam fieri non potest, unde necesse est ad illorum conversationem, mutua approximatio, & propterea dicendum aliquid de motu ipsorum locali, qui non oritur aliunde, quam à directione agitationis particularum vehicularium, versus locum quem desiderant, quæ tanta fieri potest facilitate & celeritate, quanta lubet, & quanta naturæ ipsorum non repugnat. Ce-  
le-

lerius autem progredi non possunt, quam quantum integra summa agitationis particularum suarum vehicularium promovere potest materiae, & ineptum est, illos hinc atque illic & alibi eodem momento posse praesentes esse, aequae uno mundi polo, ad alterum usque, indeque in terram iterum volare unico oculi nictu: revera enim velocius moveri non possunt, quam admittit saepe dicta directio agitationis particularum vehicularium, ejusque illa tantum pars, quae superest a conatu conservandi sese, in convenienti Aëriæ fluiditatis temperamento.

IV. Inde tamen omnino patet, illos multo nobis esse velociores: totum enim Vehiculum ipsorum ad minimum tam tenue & mobile est, ac Spiritus nostri animales; quales nos profecto paucos habemus, respectu tantæ molis corporeæ, quæ ab ipsis agitanda est. Spiritualia autem geniorum corpora nihil habent, quod secum promoveant: unde procul dubio tanto nostris sunt agilia, quanto promptior est equus generosus, qui sessorem excussit, onusto.

V. Jam de forma dicendum, in qua sibi invicem apparent, quanam nempe sit illius figura, eaque utrum naturalis, an arbitraria, an mixta. Quod enim aliqua vehiculis ipsorum sit figura, indubitate verum est, quia ipsis non competit *extensio infinita*. Communissima tamen opinio est, quod nulla ipsis tribuenda sit *figura naturalis*, nisi forte simplicissima illa,

illa, & facillima, quæ oriri potest ab aëre æqualiter comprimente omnia latera vehiculi, unde & guttarum pluvialium ac roralium, nec non grandinis rotunditas existit: atque hæc figura egregiè convenit cum natura animæ, posito, illam consistere è parte centrali & radiali, & communi sensorio circa medietatem constituto; inque hujus medio residere potest anima, colliquato forte vehiculo suo ad talem liquiditatem, beneficio elementi sui purioris, ut ibi inveniat analogon quid secessui nostro, quo desiderio solitudinis permoti, ab oculis hominum amovemur.

V I. Poterit tamen, si velit, quam facillimè aërium hoc corpus ad istum densitatis gradum redigere, ut aliquatenus se exhibeat visui, sicut quandoque sub aqua pisces observantur, ita tamen ut semper magis magisque visibilis fiat sociis geniis, conservata nihilominus figura orbiculari. Qualis autem conversatio esse queat inter tales globos viventis aëris, ignoro. Affectus forte communicare invicem possent ad eum modum, quo idem fit à nobis oculorum beneficio; modificando nempe ita vel aliter motionem spirituum vehiculi sui; sed quod absque ulla organizatione alia commodè fieri queat communicatio quædam intellectualis, fateor me non intelligere.

V I I. Dicendum ergo Genios istos, qualiscunque ipsorum *figura* sit privatim; in conversatione,  
sub

ſub forma magis articulata apparere: cum enim pro-  
lubitu ſe transformare queant, juxta ax. 8. proba-  
bile eſt, iſtam facultatem, in uſum quoque pulchri-  
ludinis & ornamenti adhiberi.

VIII. Jam verò formarum pulcherrima, ſine  
dubio eſt humana, cujuſcunque ſexus; quia in hac  
Creator apparere voluit terreſtrium animantium prin-  
cipem: maximè ergo probabile eſt, Aërios Genios  
humanâ uti forma, in conſervatione, etſi non om-  
nes, ſaltem meliores.

IX. Jam quæritur, utrum humana hæc forma ſit  
effectus Imperii voluntatis ſimpliciter, an verò vo-  
luntas quodammodo limitetur, à concomitante quadam  
vi partis Plæſtica: ita ut voluntas imperare queat,  
in genere tantum Animalis formam, humana vero  
oriatur à Plæſtica virtute, via quadam magis natura-  
li? (naturali, dico, quia, vehementia deſiderii  
alius formæ, efficere poſſe videtur, ut vehiculum  
etiam aliarum creaturarum ſpeciem referat, ſed ob  
violentiam, minus durabilem.)

X. Ubi omnino aſſerendum videtur poſterior: quod nempe mixta quadam ſit actio, reſultans par-  
tim à libertate voluntatis & imaginationis, partim  
à naturali propenſione virtutis Plæſtica. Atque hæc  
vis plæſtica, excitata per imperium voluntatis, non re-  
novat omnia lineamenta corporis ſui terreni: ſuffi-  
cit enim ſi omnia adſint requiſita, ad viſibilem appa-  
riſionem neceſſaria, cum omnibus partibus, ſive ne-  
ceſſi-

cessitatatis, sive ornatus, ad commoditatem conversationis rationalis conducentibus. Nec tamen putandum, *Efformativam hanc* determinare solam totum illum apparatus: aërii enim isti spiritus variè apparent vestiti, vel sub specie formolarum puellarum, vel militari ornatu, vel aliter; sed hic iterum imaginationis libertas introducenda est, ut effectrix horum omnium primaria.

XI. Atque hæc facultas Animæ transformandi, nempe pro lubitu vehiculum, quamvis primo intuitu planè extraordinaria videatur, tamen non magis mirum est illam exeri, quam foetum in utero ab anima organizari; aut partis corporis nostri, ab eadem moveri ex mero arbitrio: & certè Aërios spiritus ipso actu sæpè ita se transformare, ex historiis & quotidiana experientia, sole meridiano clarius est. Imò considerantibus insignem Imaginationis vim, concessam ab omnibus *Philosophis*, indignum videri deberet & absurdum, quod Dæmonibus facultas illa transformandi non competat.

XII. Multi enim de *Imaginatione* (armata præsertim confidentia & superstitione, nec non metu vel desiderio) affirmant, quod non tantum corpus proprium alteret, sed & in alia agat, idque in distans; quod morbos excitet in sanis, egrotosque curet; quod grandinem, nivem, ventosque producat, quod equos prosternat camelosque, sessoribus excussis, imò quod omnia illa efficiat, quæ *Magiæ* aliàs ascribuntur, adeò,

ut

ut & ſpectra producat, transformato circumjacente aëre, non viſibilia tantum, ſed & audibilia etiam adſtantibus: ut *Avicenna*, *Algazel*, *Paracelfus*, *Pomponatius*, *Vaninus*, aliique prodiderunt: quæ ſi vera eſſent, certè tranſfiguratio vehiculorum, cum iis comparata, ludus tantum eſſet, reſque nullius difficultatis.

XIII. Sed non opus eſt, ut eoſque progrediamur, ſufficit extare *effectus Imaginationis*, admiratione digniſſimos, in corpora propria, aut quæ iisdem ſunt comprehenſa, nimirum in foetus. *Imaginatione enim multi facti ſunt egri*, imaginatio rerum amararum aut acidarum, ſimiles ori ſæpè induxit ſapores; remiſcentia rerum ſolidarum, quibuſdam movit vomitum; imaginatio medicamento aliquos purgavit, laxata alvo; & ſimilia ubique occurrunt multa, inter quæ non minimam meretur admirationem, quod propoſitum evigilandi ſtato tempore, plerumque manè excitet dormientes. Hæ autem alterationes ſpirituum, ad producendas tales qualitates, non minus difficiles videntur, quam reductio eorundem ad certam quandam figuram. Sed plures addendi ſunt *effectus* imaginationis magis inſignes, nempe, quod *tam determinatè quandoque agat, ut ipſam corporis formam immutet, producendo nempe extuberantias quaſdam, cornibus ſimiles*, ut contigit *Cippo*, aliique cuidam, de quo haud ita pridem veritatem à fide digniſſimis reſcivi: huc pertinet,

quod metu quidam mortui, quidam cani facti sint; (unde apparet, *Plasticam animæ facultatem, quandam & in capillos habere influentiam, quo minus mirum vehiculum animæ, in vivam quasi hominis effigiem mutari, ne capillis quidem exclusis, si libera imaginatio assistat plasticæ.*)

XIV. Inter omnia tamen exempla, *Signatura Fœtus, ex imaginatione maternæ orta, quàm maximè huc faciunt: inde enim facile intelligere possumus, quod sicut facultas plastica in Fœtu dirigitur aut seducitur, virtute phantasiæ maternæ, ita facultas efformativa animarum separatarum, gubernari atque dirigi, aut perverti queat virtute Imaginationis, idque tanto magis, quanto major est unio inter imaginationem Animæ, ejusque propriam facultatem plasticam; quam inter eandem, & facultatem plasticam alienam: quantoque major est idoneitas recipiendi mutationem in vehiculo aërio, quam in crassioribus illis fœtus rudimentis in utero.*

XV. Et quia certum est, omnibus generationibus adesse spiritum Naturæ, quamdiu nempe fluida est, atque tenera materia, unde quoque nævorum maternorum exortus, quam commodissimè explicari potest; non absurdum esset, si quis statueret, eundem nec in *transfigurationibus Dæmonum* otiosum esse, sed assistere illorum phantasiæ atque desideriis, ut ita vestiantur & exornentur pro voto: quod & fieri interdum posse videtur in vitis illis, sic-

ut



ut invita matre, ob phantaſiam depravatam, naſci-  
tur monſtroſus foetus.

XVI. Quæ haſtenus dicta ſunt, ea pertinent ad  
*converſationem Geniorum inter ſe invicem.* Illi ta-  
men ſæpe & nobis apparent, ſub forma quadam ani-  
mali, quod tamen procul dubio multò difficilius eſt,  
& ideo minus frequens, quia minus naturale; poſ-  
ſibile tamen: quia per artem aër ita comprimi po-  
teſt, ut reducatur ad viſibilem aliquam opacitatem,  
id quod præſtare potuit quidam Amicorum *Carteſii*,  
cujus ille mentionem facit in *Epistoſis*: atque hanc  
opacitatem aër ſuſcipit, excluſis à ſe globulis: quod  
quamvis efficere queant animæ, ſpiritusque per fa-  
cultatem illam directivam, de qua, ax. 5. id tamen  
non abſque inſigni dolore fieri poſſe, certiffimum  
eſt: *primum enim elementum denudatum*, niſi Aër  
arctiffimè includatur, *producit calorem intolerabi-  
lem*; & ſi id fiat, frigus in eo erit exquisitiſſimum,  
unde ſpiritibus, præſertim inferioribus, difficile admo-  
dum erit medium ſemper conſervare temperamen-  
tum: Et hinc probabile eſt, illos, cum apparent,  
vehicula ſua imbuere vaporofa quadam & glutinoſa  
humiditate, aut alio quodam ſimili, ut eò facilius  
nobis fiant viſibilia.

XVII. Ut autem ſpecialius ad *pravioreſ* iſtos  
accedam, videntur & illi quidem humana potiffi-  
mum forma converſari invicem, ſæpe tamen be-  
ſtiarum quoque ſpecie apparere; id quod tam facilè

fieri potest, quam facilis est quibusdam imitatio vocum brutalium; unde quoque de talibus apparitionibus innumera extant exempla. Nec improbabile est, illos ob varias animi impuritates, disponi quodammodo ad assumptionem brutalium potius, quam aliarum figurarum, interque illas harum potius bestiarum, quarum naturæ quam proximè accedunt.

XVIII. Hucque pertinent & illæ *δαιμόνιαι* seu *αἰσῆαι* *αὐραῖς*, quorum *Pf. llus* mentionem facit; (in Tract. *ἑπὶ ἐνεργείᾳς δαιμόνων*.) quæ colores exhibent, prout magis vel minus fœculentum est vehiculum Dæmonis, sub lucis istius specie apparentis. Quam facilè enim est Genio, contrahere crassiores particulas aëris, cum globulis ætheriis, ut primum elementum nudum appareat! Quod cum non possit non lambere particulas vehiculi proximas, hoc ipso non potest exhibere lucem purissimam, qualis stellarum est, sed colorem potius rubicundum & igneum, (qualis est *Solis* circa *Horizontem* per vapores visi) qui partim ab impuritate vehiculi, in alimentum assumpti, partim ab obscuritate reliquarum ejus partium, *splendorem istum transmittentium*, oritur.

XIX. Sed ista in memoriam mihi revocant, *splendorem & pulchritudinem formarum in melioribus Geniis*; qui procul dubio in aliis major est, in aliis minor, pro variis inter ipsos gradibus *Virtutum*,  
Affe-

*Affectuumque moralium.* Sicut enim in hoc corpore, diversitas inclinationum, diversitatem quoque vultuum parit, ita quoque in illo statu; in quo exterior forma non aliunde existit, quam ab *imperio mentis*; quæ quo est purior, eo perfectiorem quoque exhibebit in vehiculo pulchritudinem, sive quoad partium proportionem, sive quoad ornatum externum: cum in anima indissolubiliter cohærent, *virtus, amor, & pulchritudo*, quorum omnium ipsa est radix, præsertim in statu separato: unde *conversatio Virtuosorum*, procul dubio *dulcissima est & jucundissima*. Si enim *Virtus & Vitium* unquam videri possunt oculis externis, certè id videtur in istis vehiculis fieri; per quæ quasi transparere videtur ipsa Anima, cum omni sua pulchritudine, ad ineffabilem spectantis usque stuporem. Non quasi vehiculum ejus, simile sit statuæ cuidam crystallinæ, sed quod impressio pulchritudinis in illo tam sit exacta, externis ejus partibus ad tam subtilem opacitatem temperatis, ut lumen longè perfectioribus reflectatur coloribus, quam hoc fit in ullo corpore terreno.

XX. Breviter, qui *exactam formarum illarum pulchritudinem* cognoscere voluerit, illum velim apud Poëtas evolvere exquisitam harum rerum descriptionem, quibus subjiciat hunc titulum: Obscura delineatio ineffabilis Aëriorum Geniorum pulchritudinis, sive *Nymphæ* sint, sive *Heroës*.

Quamvis enim nec concupiscentia ibi locum habeat, nec differentia Sexus (ubi nihil exercebit *Mens nostra*, quam *intellectualem illum Amorem*, cujus *objectum est Virtus & pulchritudo*;) non tamen improbabile est, generale quoddam discrimen ibi existere inter *Masculinam & Fœmininam pulchritudinem*, partim quia temperamentum vehiculorum, interdum ad hanc potius quam ad illam decoris speciem inclinet; partim quia probabile est, illos aliqualem sexus, quem in hac vita sustinuisent, characterem retinere, ad minimum generalissimo conceptu; unde ad modum sui sexus, alii alias exhibeant vestes, aliumque modum ordinandi capillos.

## CAP. VI.

*De Conversatione Geniorum in specie, ejusque modis variis.*

I. **C**UM certum sit omnino, *Animam in illo statu non carere Rationis, imaginationis, & affectuum usu*, sequitur illam & institueri posse colloquia varia, in magna illa Dæmonum societate, sive *moralia*, sive *Physica*, sive *Metaphysica*. Unde *Socrates*, in aliquo *Platonis* loco, ait, se continuaturum doctrinam propositam in altera vita, convincendo & confundendo *Sophistas undiquaque*: & fortè tunc non minus *Platonici* invenientur, &  
Aristo-

*Ariſtotelici*, nec non *Stoici & Epicurei*, aliique, quam in terra; in quantum tamen ſtatus ille permittit: ibi enim non poterimus dubitare de iis omnibus, de quibus hinc dubitavimus, nec tamen etiam omniscii erimus. Exempli gratia, quod dentur ſpiritus aërii, ſciunt animæ utrum verò permansuri ſint ſemper, an cum conflagratione mundi ceſſaturi ſint, dubitare poſſunt quidam. Inſignis quoque inter ipſos controverſia eſſe poteſt, utrum circa motum terræ, vera ſit *Pythagoræ*, an verò *Ptolemæi* hypotheſis; nec non an ſtellæ tam magnæ ſint, ac vulgò dicuntur. Inferiores enim ſpiritus nihil ſunt, nobis circa talia doctiores, nec meliora habent media veritatem indagandi. Præterea colloquia habere poſſunt, de rebus noviter geſtis, tam in terra, quam Aëre. Aërei enim habitatores non minus poſſunt negotiis immiſceri, quam terreni, ſive circa ſolenia quædam exercitia occupentur, ſive factiones inter ſe admittant, de rebus vel publicis, vel privatis. Et eventus certè horum, aliorumque omnium per omnes Regiones Aërias innotefcit. Ut nihil dicam de conjecturis, circa ſucceſſus rerum gerendarum, aliisque materiis innumeris, de quibus diſſeri poteſt.

II. Ante omnia tamen hinc occurrunt *exercitia Religionis & Devotionis*. Cum enim corpora eorum tenuitate & puritate, noſtra tam inſigniter præcellant, neceſſe eſt, illa multo eſſe aptiora, in qui-

bus exoriantur divinæ cogitationes, aliique purissimiverfus creatorem suum affectus. Hinc fit, ut eundem exaltent hymnis sacris atque canticis, perfectissime exprimentibus dulcissimos illos raptus devotæ mentis, utque animæ illæ piæ, quasi liquecant ad divinas laudes, gaudioque ineffabili tantum non innatent.

III. Hæc tamen exercitia, cum tantopere *Animas ad sublimia abripiant*, merâque ecstasi ultra ordinarios, naturæ earum terminos transportent, non videntur posse esse nimis frequentia; undè post illa, alia ipsis videtur opus esse recreatione, inferiori quidem, *voluptates terrenas ineffabiliter superante*.

IV. Cum enim Animalis vita, æquè sit essentialis animæ, ac unio cum corpore, quo nunquam caret, sequitur in illo statu quædam existere, quæ admodum grata sunt illi: nil potest autem fingi gratius, quam *Societas amica*, in quâ non tantùm discursibus, sed & ludicris quibusdam innocentibus, locus sit, quibus etiam *Musices & Amoris* studio satisfiat. Hæc tria enim flos dicuntur *Plotino* cæterorum omnium, ejusque receptio in illum statum, ab oraculo *Apollinis* similibus ferè describitur circumstantiis.

----- Μετ' ὀμῆγειν ἔρχεται ἡδὲ  
 Δαιμονίου ἐρατοῖσιν ἀντιπνεύσαν ἀήταις  
 Ἐνδ' ἐνὶ μὲ φιλότης, ἐνὶ δ' ἴμερσ' ἀβροσὶ δ' ἔσθαι  
 Ἐυφροσύνης πλείων καθαρήσ πληρέωνσ' αἰέν  
 Ἀμβροσίων ὀχεδῶν δέοθεν ὄθειν ὄσιν ἐρώτων  
 Πείσματα καὶ γλυκερῆ, πνοὴ καὶ νήνεμ' αἰθέρης

----- *Ad concilium contendis*  
*Geniale, quod amœnis interspiratur auris.*  
*Vbi Amicitia est, ubi Cupido visu mollis,*  
*Puræ plenus lætitiæ, & sempiternis rivis*  
*Ambrosiis irrigatus à Deo: unde sunt Amorum*  
*Retinacula, & dulcis Spiritus & tranquillus*  
*æther.*

Et paulò post.

----- *Vbi animus inter mensas*  
*Lætitia semper hilarescit.*

Ibique simul nominantur Socii *Animæ Plotinia-*  
*næ*, nempe *Pythagoras*, *Plato* & puriores Spiritus  
*Ætatis aureæ*, omnesque hujusmodi, qui consti-  
 tuant *Amoris Amicitiaque immortalis* chorum.

V. Quodque talis quodammodo sit meliorum  
 Geniorum occupatio, non parum confirmant ea,  
 quæ scimus fieri inter *Dæmones inferiores*. Probabile

bile enim est illorum conventicula, in quæ venefici quoque & sagæ admittuntur, depravatam quandam esse superiorum gaudiorum adumbrationem.

VI. Hic tamen quæritur, annon, sicut *Musica & chori inferiorum Daemonum*, ita & convivia eorundem, umbræ quædam sint superiorum, *id est*, annon & bonis Geniis tribuendum sit, aliquod cœtionis & bibitionis analogon?

Et fateor, haud parvam esse difficultatem, si quæ-  
ratur unde sive bonis sive malis Geniis suppetat ali-  
mentum? quamvis facilius aliquanto intelligi queat,  
quod vehicula sua quodammodo reficiant. Posito  
enim, illos vitaliter actuare, particularem quandam  
Aëris portionem, sub certa quadam extensione, pro-  
babile est illos partim locali motu, partim activitate  
cogitationum, particulas quasdam vehiculi plus agi-  
tare solito, quæ ita commotæ, disperguntur & per-  
spirant, ita ut vehiculum quodammodo diminuatur:  
atque hinc restitutionem admittat; quam necesse  
est fieri, vel victu formali, vel assumptione crudi sal-  
tem aëris: qui fortè sufficeret quidem, sed cum semper  
idem sit sibi que similis, parum videtur posse delecta-  
re. Unde probabilius est, utrosque habere statata refe-  
ctionis tempora, si non ad necessitatem, saltem ad  
delectationem bonorum, malorumque exquisitio-  
rem poenam.

VII. Maxima tamen, ut dixi, difficultas est in  
illa quæstione, unde Geniis malis cibi illi, in exe-  
cran-



crandis suis conviviis, tam eleganter per mensas ordinati? De materiali illorum certi videmur esse posse, quod sit aër humidus, partim quod convivæ, nullam inde saturitatem percipiant; ut confessiones maleficarum ostendunt, partim quod Salis usum in illis conventiculis prohibeant, qui virtutem habet dissolvendi omnem aquositatem, ejusque congelationem impediendi. Sed quomodo aër in istas *formas* cogatur, dubium est: utrum nempe id fiat ex merâ virtute imaginationis, in vehicula agentis, immersa prius humiditatibus quibusdam, ut deinde eò facilius, in istam ciborum *figuram* redigi queant, atque aliqualem eorundem saporem suscipere? an vero Aerii isti Spiritus, vehementi quodam desiderio, ita movere possint Spiritum Naturæ, ut in momento votis ipsorum satisfaciat, in materia idoneâ, qualis est aër humidus; Sed ita alimentum ipsorum admodum ingratum erit atque dilutum, magisque illusio quædam, quam solida voluptas.

VIII. Sed *superiores* isti *Dæmones*, qui Aërem habitant, ventis atque tempestatibus haud obnoxium, tantæ difficultati non expositi sunt: in tranquillibus enim his regionibus *Promus-Condus* Universi, Spiritus Naturæ facile producere potest integros hortos, florum fructuumque abundantia incomparabiles, eosque cum partibus aëris, in quibus existunt, æquilibres, & forte aviculis quoque & mansuetis bestiis refertissimos: sed istæ sunt conjecturæ. *Plac-*  
*tonis*

*tonicis* certè, quin hîc locorum convivìa dentur & alimenta, minus est dubium, unde *Maximus Tyrius* animam vocat *ἄνεμα αἰθέριον*, cum quibus consentit oraculum illud *Apollinis* apud *Plotinum*, cum de *Geniis* inquit

Ὅσοις κέαρ ἐν θαλίῃσιν  
αἰὲν εὐφροσύνησιν ἰαίνεται

Unde *nectar* & *Ambrosia* Poëtarum, non mera videntur fabula. Spiritus enim Naturæ, qui instrumentum Dei est immediatum, poterit fructus *Aerei hujus Paradisi*, talibus implere liquoribus, qui in corpora puriorum horum Damonum assumpti, perque vehicula eorum diffusi, tam gratos excitent motus, gustui ipsorum analogos tamque exquisitam dulcedinem, ut nemo *Epicuræorum* in terrâ hâc, vel fingere queat aliquid gratius: idque absque omni satietate atque fastidio, cum nihil inde aliud augeatur, quam *divinus Amor*, *gaudium beatum* & *Devotio*.

IX. Atque hic excurrere possem prolixè admodum, repræsentando varias *Aërii* vel *Ætherii* hujus *Elysi Concamerationes*, omni picturarum genere exornatissimas; sed plura non audeo adjicere in tali materia, cujus nuda existentia, fundamentum non habet aliud, quam quod alias maxima hujus *Universi*, & nobilissima pars infiniti fermè spatii, quasi incul-

ta

ta esset, desertoque similis, ubi nec planta apparet, nec animal: quod quamvis æquè videatur inconveni-  
niens, ac si *Natura* fingeretur, omnem suam quam-  
cumque producere posset varietatem, restrinxisse ad  
unicum talpæ grumum: reliqua terræ superficie quan-  
tacunque, redacta ad meram solitudinem, in qua nec  
herbula, nec arbor, nec avis, nec bestia inveniatur; ta-  
men Spiritus nostri tam pusillanimes sunt, ut circa  
objecta tam remota, vel ignorantiam, vel Sceptici-  
smum eligant.

## CAPUT VII.

*De Politia Dæmonum Aëriorum.*

I. **Q**uod tale quid in genere detur inter Genios,  
quod *Politia* sit analogon, certissimum est  
in se, & rationi quammaximè consenta-  
neum; particulares verò ejusdem leges, & consuetu-  
dines indagare velle, nimis curiosum est: quod ta-  
men certo cuidam regimini subjaceant, non solum  
opinio est *Pythagoræorum* (qui sicut humanæ & divi-  
næ, ita & Dæmonum Legi certum assignarunt no-  
men, ut cum illa *Νόμος*, & ista *Θέμις* dicantur, hæc  
*Δίμν* nominetur: ) sed & cum *Ratione* quam optimè  
congruit; idque in inferioribus his Regionibus quam-  
maximè videtur necessarium, in quibus mali mixti  
sunt melioribus, & prudentes stolidis, ut in terra.  
Cumque Animabus separatis æquè competat sensus

COR-

corporeus, ac Dæmonibus, atque hinc Voluptas & dolor, pœnaque & injuria ex istis spatiis nequeant excludi, manifestum est, formam quandam *Politicam*, quasi spontè exurgere, qua divisi sint Genii in Nationes & Provincias, gubernatique ministris justitiæ, tam summis quam imis.

II. Atque invisibile hoc Regimen, non videtur circumscriptum limitibus Aëriis, sed ad ipsos quoque terræ pertingere incolas, sicut his ipsis Bestiæ, & Ætheriis potestatibus Aëriæ, subsunt. Unde nihil committi potest in mundo, contra communem justitiæ normam, quin severa & inevitabilis subsequatur pœna: & quælibet Natio, Civitas, Familia atque Persona, suo modo peculium, indeque in tutela erit invisibilis cujusdam Potestatis.

III. *Pœna* autem horum locorum, omninò statuendæ sunt esse rigorosissimæ & intolerabiles, infinite superantes omne id voluptatis, quantumcunque sit, quod Genii mali nocendo, vel nobis, vel geniis aliis percipere possunt. Unde manifestum, est nos æque esse tutos à majoribus ipsorum injuriis, ac si planè in mundo non essent, nisi specialis quædam ipsis fiat permissio, aut nos ipsi ansam illis porrigamus, imprudentius cum ipsis conversando, aut alii quidam, qui in fædere cum illis sunt, nobis damna inferant.

IV. Tam facilè quique punire se invicem possunt Genii, quam homines: Quamvis enim nobis  
sint

sint invisibiles, cohabitatores tamen suos latere non possunt, nec magis fraudibus impunitatem sibi conciliare queunt, quàm quidam inter nos transmūtatis vestibus. Cumque singuli ad politicam quandam subdivisionem pertineant, non difficilè erit, maleficos deprehendere: nemo enim ita poterit transfigurare se ipsum, ut iussus non cogatur apparere forma sibi usitata: unde ob difficultatem elabendi, & certitudinem pœnarum insupportabilium, mundo sat licet esse securo, malorum illorum, quæ quidam putant esse metuenda, si tales Genii revera in mundo existerent.

V. Quibus addi potest, quod quæ nostra sunt, illis sint inutilia: nec vero sit consentaneum, entia quædam rationalia delectari malo, quod nullo modo ipsis profit; Ut Aphorismus ille Socratis Πᾶς ὁ μολύβδης ἀγνοεῖ, tam verus sit in illo, quam in hoc mundo. Unde id unicum videntur desiderare maligni illi Spiritus, ut nos eodem cum ipsis gradu pravitatis, à Deo deficiamus, cumque ipsis plenariè participes fiamus falsæ istius quâ gaudent libertatis; sicut perversi quidam in hac vita, profelytos facere student, ut habeant aliquos in pravitate nutritios, qui honore ipsos colant & reverentia.

VI. Si aliquis quærat, *qualis sit ista pœnarum species, quæ Aërios istos Spiritus manet*, ille poterit adire *Cornelium Agrippam*, (De occulta Philosoph. l. 3. cap. 41.) si placet, *cujus hæc sunt verba: Accedunt*

cedunt etiam vilissimorum ac teterrimorum locorum habitacula, uti *Aetnae* ignes, aquarum ingluvies, fulgurum & tonitruum concussus, terrarum voragines, ubi regio lucis inops, nec radiorum Solis capax, ignarumque splendoris siderum, perpetuis tenebris & noctis specie caligat. Hæc adeo absurda non sunt; sed si quis modum præterea scire desideret torminum, ille à me responsum ne expectet.

## C A P U T V I I I.

*De Morali conditione Animæ separatae.*

I. **T**Ria sunt præmittenda, antequam ad scopum hujus capituli accedamus, quorum primum est, *an Anima reminiscatur ullius rei in vita priori gestæ, post mortem?* *Aristoteles* enim & *Cardanus* videntur negare hoc, quamvis absque ratione. Nam quia immediata memoriæ sedes est ipsa Anima, omnesque species cum singulis circumstantiis in illa reservantur, non in spiritibus, (quod nec ipse *Vaninus* negare potest,) nec in ulla parte corporis, consequens est memoriam, etiam deserto corpore, in anima manere: quamvis enim Spiritus, qui necessarium sunt Animæ in corpore instrumentum, si nimis fiant frigidi, humidique atque

que crassi, oblivionem in homine producant; sublato tamen hoc morbo, & reducto illorum temperamento debito, Anima mox recuperat memoriam rerum antehac cognitarum. Unde juxta Ax. 7. sequitur memoriam animæ perfectiorem esse post mortem, & conscientiam habiliorem, ad illam juxta facta vel excusandum vel accusandum.

I I. Deinde præmittendum, Naturalem & usitatam vehiculi aërii figuram, similem quodammodo esse proportioni membrorum deserti corporis: facillimum enim videtur parti Plasticæ, ut (imperante voluntate productionem figuræ humanæ) quam proximè accedat ad id, quod jam semel formaverat. Ubi simul videtur concurrere Spiritus Naturæ, æquè ut in formatione foetus; ut ita propria Animæ idea sive figura (quamvis fortè in actu conceptionis atque gestationis, virtute imaginationis maternæ aliquantulum immutata sit) post mortem exactius reducatur; sitque individualitatis nota infallibilis.

I I I. Tandem addemus, idem post mortem retineri nomen, nisi fortè specialis quædam illius mutandi occurrat ratio, unde personæ illius status, tam exactè distingui ac circumscribi possunt, ac nos in hac vita. Atque hæc omnia, ut probabilia sunt admodum, ita ad commodam justitiæ administrationem, observandumque in illo statu ordinem, omninò videntur necessaria.

IV. His præmissis facilè intelligi poterit, quod conditio Animæ post hanc vitam dependeat à Morali ejusdem, in ista vita qualitate. Si enim non cessat memoria, Conscientià certè tum procul dubio multò erit accuratior: quia Mens de actibus pravis judicium longè rectius ferre poterit, quam cum in carne esset, cum omnes hïc cessent circumstantiæ, impedièntes alioqui modum secum instituendæ rationis, atque opportunitatem cognoscendi propria vitia. Præterea, cum tanta sit Aëri cum terra communicatio, ad minimum fama de rebus, in hac terra relictis, ipsis innotescet: unde si corruant pravè cœpta, procul dubio novos morsus imprimet animabus conscientia, audientibus, vel videntibus etiam, quod acta suà turpissima, cum infamia rescindantur, aut omnia sua consilia evanescant, famamque adeo desideratam, convicia & probra undiquaque dilacerent.

V. Hæc putare quis posset sufficere torquendis impiis, si perpenderet insignem illam Mentis in vehiculum suum potestatem, qua ipsa in tantum id vulnerare potest. Necessè enim est istas passiones, quæ malam sequuntur Conscientiam, Aëriò isti corpori, intolerabilem inferre intemperiem, morteque ipsa pejorem. Nec tamen mori illa potest pro libitu, etiamsi in medias Ætnæ flammam se præcipitet: posito enim illam tamdiu ibi comorari posse, donec per ineffabilia tormina, sulphurearum harum flammarum, destruaturs vitalis Vehiculi sui congruitas; at-

tamen



tamen quamprimum relaxaretur, vitam in Aëre reciperet, cum ineffabilibus illis torminibus, imò ob quæsitam mortem, majoribus; idque millies iterumque millies, si toties idem repeteretur actus.

VI. Necquicquam juvaret, si quis, ut hîc quidam inveniuntur, omnem boni malique differentiam, radicitus ex animo evelleret, ut nullam penitus haberet peccatorum conscientiam. Illum enim divina Nemesis, quæ à nulla Universi parte abest, externis adjudicaret pænis invitum, bonumque & justitia, quæ hætenus ignota ipsi fuerunt, etiam nolenti innotescerent. Si enim tam atrociam, quæ sæpè à talibus committuntur crimina, impunita manerent, profectò nulla omnino esset Providentia. Certum ergò est hujus farinae Spiritus, vel eorum vindictæ exponi, qui tantam ab iis passi sunt injuriam, vel quod probabilius, ab omnibus desertos, ministris justitiæ tradi, quorum crudelitati nihil fingi potest simile.

VII. Sed ad eos accedamus, qui quantum in ipsis fuit, virtuti studuerunt & bonæ conscientie, ubicunque & quandocumque vixerunt. Quamvis enim moralis hæc Gentilium innocentia, eousque non pertingat, ut juxta modum loquendi Ecclesiasticum, dici possint salvari; certè tamen non censenda est, omninò illis fore inutilis, cum tam diversi dentur alterius vitæ gradus. Unde dicendum est, istos magis minusve fore felices aut miseros, prout ma-

gis minusve dederunt operam virtuti. Cur enim Deus in illo statu, durius in ipsos animadverteret, quam in isto, si nihil interea, quod ejus ab ipsis affectum abalienaret, intercessit? Et certè, si aliter quis statuatur, nescio an non divinam Providentiam insigni afficeret injuria.

VIII. Dicatur ergo, quod, si memoria post mortem non cessat, talibus futura sit insignis animi tranquillitas, atque inde certa quædam salus & pulchritudo Vehiculi, cum meliori societate in amænioribus Aeris tractibus.

IX. Hic tamen cautè omnia peregisse oportuit: nam & ignorantia, etiamsi cum quadam animi sinceritate conjuncta sit, sua sunt mala: sicut apparet in iis, qui per errorem amicum aliquem pro hoste occidunt.

F I N I S.

# I N D E X

## Capitulum Libri Primi.

CAPUT I.	<b>D</b> E Materia & Immateriatō in genere. Pag. 1	
CAP. II.	De variis Spiritus speciebus, atque Deo & facilitate illum concipiendi.	2
CAP. III.	De Spiritu Finito & Creato.	8
CAP. IV.	Axiomata quædam, ad explicationem indiscerpibilitatis necessaria.	11
CAP. V.	De reliquis attributis Spiritus.	19
CAP. VI.	De Speciebus Spiritûs Creati primariis, earumque definitione.	29
CAP. VII.	De iis quæ objicit <i>Hobbesius</i> , contra Possibilitatem hætenus probatam.	30
CAP. VIII.	Responsiones ad hæc <i>Hobbesiana</i> .	37
CAP. IX.	De Fundamentis probandi existentiam Substantiæ Immaterialis.	43
CAP. X.	Quod ex ordine & Naturâ rerum in Universo, probari queat existentia Essentiæ Spirituales.	50
CAP. XI.	Ultimum Argumentum pro existentia Substantiarum Immaterialium, ab Apparitionibus deductum.	54
CAP. XII.	De potestate corporum cœlestium in formandis effectibus, qui Apparitiones dicuntur.	58

## Libri Secundi.

### De Animâ humanâ in statu unionis.

CAPUT I.	<b>A</b> xiomata quædam, ad demonstrandam existentiam Animæ in homine necessaria. P. 63	
	L 4	CAP

# I N D E X.

- CAP. II.** Quod Materia non sit apta, ad Sensum aliasque operationes. 65  
**CAP. III.** De corporis humani variis partibus, deque communi Sensorio. 68  
**CAP. IV.** De sede Animæ in corpore humano. 71  
**CAP. V.** In quo objectiones quædam diluuntur. 76  
**CAP. VI.** De separatione Animæ à corpore. 90

## *Libri Tertii,*

### De Statu Animæ post Mortem.

- CAPUT. I.** **P** Rincipia quædam, quibus innititur veritas rerum proponendarum. P. 113  
**CAP. II.** De Animâ consideratâ in genere, partim in se, partim quoad vehicula. 120  
**CAP. III.** De loco, ubi Anima degat, post mortem. 126  
**CAP. IV.** De Functionibus Animæ solitariæ, & in se considerata. 135  
**CAP. V.** De Anima considerata in societate & conversatione cum Geniis aliis. 141  
**CAP. VI.** De Conversatione Geniorum in specie, ejusque modis variis. 152  
**CAP. VII.** De politia Dæmonum Aëriorum. 159  
**CAP. VIII.** De Morali conditione Animæ separatæ. 162

F I N I S.

*De Anima humana in statu unionis.*

*De Anima humana in statu unionis. ad demonstrationem eiusdem in homine necessaria.*

*Plutus Rev. 250*





Philos. B 1024

